


DE

MARBODI

RHEDONENSIS EPISCOPI

VITA ET CARMINIBUS

THESES

MONSPELIENSI LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT


C. FERRY


IN NORMALI CARMELITARUM SCHOLA QUONDAM ALUMNUS

NEMAUSI
EXCUDEBAT P. JOUVE
In via Aurea.

M D CCC LXXVII.


VE RI
TAS


HARVARD UNIVERSITY LIBRARY
VE RI TAS
FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT
MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST
MDCCCC
BOUGHT WITH INCOME OF THE
HENRY L. PIERCE FUND



DE

MARBODI

RHEDONENSIS EPISCOPI

VITA ET CARMINIBUS

NEMAUSI. — EXCUDEBAT P. JOUVE.

DE
MARBODI
RHEDONENSIS EPISCOPI
VITA ET CARMINIBUS

THESES

MONSPELIENSI LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT

C. FERRY

IN NORMALI CARMELITARUM SCHOLA QUONDAM ALUMNUS

NEMAUSI

EXCUDEBAT P. JOUVE

In viâ Aureâ.

M D CCC LXXVII.

C.-A.-HENRICI PLANTIER

EPISCOPI NEMAVSENSIS

MEMORIÆ

GRATI ANIMI ERGO

C. FERRY.

F. L. FERRY

OLIM IN NEMAUSENSI *ASSUMPTIONIS* COLLEGIO

PROFESSORIS

OPTIMI PATRIS

MEMORIÆ

C. F.

PROŒMIUM

Cum tot et tam varia fuerint ætatis nostræ in litteras merita, illud et pro maximo habebitur, quod, præteritorum temporum minime incuriosa, quidquid de litterarum in Gallia primordiis ei innotuerit, hoc omne sedulo collegerit. Cui præclaro studio, nos et aliquando morem gesturos esse arbitrati sumus, si Marbodi scholastici varia excuteremus carmina. Ille nempe, inter tot magistros qui claram, in pueris educandis, medio ævo ineunte, curam insumpsere, omnibus fere ætate prior, paucissimis ingenio et doctrina minor evasit. Unde, apud sapientissimos judices, quorum suffragia æmulamur, minimum invidiæ nobis fore confidimus, si, illo auspice, quæ fuerint undecimo sæculo Scholastici partes, quæ et camœnis in lucem renascentibus, haud ingrata facies, pro viribus, quantulæcumque nobis sint, investigaverimus.

PARS PRIOR

DE MARBODI VITA.

I

DE MARBODI PRIMORDIIS

Paucissima, quæ de Marbodo loquuntur illiusque nomen commendant, ex historiis colliguntur documenta: at cuique opera illius diligenter scrutanti multa occurrent quibus qualem vitæ cursum tenuerit satis distincte appareat. Hæc libuit in medium conferre quo melius et Marbodi persona et mores eniterent.

Natus est igitur Noster *Andegavis* (1), in potentissima provinciæ Turonensis civitate, ex honestis piisque parentibus quorum sic meminit Ulgerius:

« Natus erat quorum decus exstitit Andegavorum (2) ».

(1) Beaugendre, *in præfat.* ad opp. Marbod. Patr. Lat. CLXXI, 1462.

(2) Ulgerius, *in Epitaph. Marbod.* ibid. 1466.

Pater, cui nomen Robertus *Pelliciarius* seu *Paramentarius*, quemdam, ut ex publico diplomate constat, aquæ descensum sancti Albini monachis concessit (1) : quo etiam instrumento didicimus numerosam fuisse Marbodi familiam, ipsumque pene natu minimum evasisse.

Junior adhuc Marbodus inter clericos adscitus est, primaque sacræ militiæ munia apud sancti Maurilii ecclesiam obiit ; ibi etiam primum litteris incubuit easque non, ut sæpissime fiebat, odoratus, sed plane perscrutatus, miram sibi latini sermonis peritiam comparavit : cujus optimi beneficii memor, ætatem jam virilem adeptus, vitam sancti Maurilii versibus ornare aggressus est : quippe ait :

.......Ei (Maurilio) me psallere jus est ;
Scilicet a puero proprio quem jungere clero
Dignatus, pavit, juvenemque docendo levavit (2).

Si autem quos tractaverit auctores adolescens noster scire cupieris, non tibi deerunt ipsius documenta. Ipse enim senex recordatur animoque effingit magistrum ad verbera recurrentem et poetarum antiquas edocentem fabulas :

Ad pueri propero lacrymas, quem verbere sævo
Iratus cogit dictata referre magister,
Dediscenda docens quæ confinxere poetæ
Stupra nefanda Jovis, seu Martis adultera facta (3).

(1) Beaugendre. Loc. cit.
(2) Marbod. *Vita S. Maurilii.* II, 3 et sqq.
(3) Marbod. *De decem. capit.* II, 52.

Eadem et celeberrimus Alcuinus (1) puer didicerat, eadem annis gravatus abhorruit, vetuitque ne juniores scholæ turonensis discipuli callerent. Metuebant enim gravissimi viri ne lascivæ totiesque a vatibus latinis recitatæ fabulæ vesano cupidinum æstu adolescentium animos incenderent : attamen non poterant quin Maronis et Flacci aliorumque quos Roma tulit poetarum sermonis leporem canorosque modos mirarentur, eosque sibi scribendi magistros adhibereut (2). Illud autem dulce cum veteribus poetis commercium, quo Noster utebatur, nequaquam moribus ejus offecit; nam studiis intentus, totusque in illis, turpes quibus solet juventus efferri voluptates forti contempsit animo : quod verbis haud obscuris ipse significat :

Multa senex memini juvenem me probra tulisse
Verborum, cur non sequerer levitate coævos
Intempestivis epulis ludisque vacantes,
Cum me discendi retineret sobria cura (3).

---

(1) Ozanam. *Études germaniques. Les écoles.* IX, 550.

(2) Vide quid de talium carminum voluptate edisserat Guilbertus : « Interea cum versificandi studio ultra omnem modum, meum animum immersissem... ad hoc ipsum, duce mea levitate, veneram, ut lepores amatorios in specierum distinctionibus, et epistolis nexilibus affectarem... Unde accidit, ut effervescente interiori rabie, ad obscenula quædam devolverer, et aliquas litterulas, minus pensi et moderati habentes, imo totius honestatis nescias dictitarem. » Guilbertus a Novigento. *De vita sua.* I. 17.

(3) Marbod. *De decem capit.* V. ad finem.

Qua morum gravitate ingeniique celeritate conspicuus facile inter æquales enotuit Marbodus. Hinc in Scholastici munus summo omnium plausu, vix trigesimum annum agens, Noster evehitur (1). Nec Eusebium episcopum has egregio juveni commisisse partes pœnituit : eo quippe munere adeo præclare functus est Marbodus, ut nominatissimum et famosum Andegavensis civitatis magistrum eum appellaverint æquales (2); qui nempe quas magnarum artium disciplinas discipulos docebat, eas propriis exemplis confirmare nitebatur. Scilicet dulcior melle illius fluebat oratio : festivo sale sermones condiebantur, ditiorque vena facetis versibus abundabat. Præterea indoles suavissimo lepore grata, mores nec asperrima severitate odiosi, nec nimia facilitate dissoluti, mens ad amicitiam prona, is denique vitæ habitus qui blandum juventutis præceptorem optime deceret. Sed et Marbodi humanitas ejusdem constantiæ cedere, prout res postulabant, noverat. Siquidem discipulorum suorum causas non semel strenue agere Noster visus est, præsertim quum litem cum cantore Goffrido sustinere non dubitavit. Hic, aliqua discipulorum jura rescindere conabatur. Marbodus causam suorum apud episcopum oravit, cujus auctoritate res integræ Scholastici clientibus restitutæ sunt (3). Quum

(1) *Hist. de l'Université d'Angers*, par Rangeard, publiée par Lemarchand, bibliothécaire en chef de la ville d'Angers. I, 34.

(2) *Epist. encyc. Monach. S. Albini.* Patr. Lat. CLXXI, 1463.

(3) *Hist. de l'Université d'Angers.* I, 37.

igitur Andegavorum scholæ assidue operam navaret Marbodus, multa edidit scripta quibus, sive piis erga religionem affectibus, sive officiis quæ sibi obeunda erant, sive etiam proprio ingenio carminum peramanti, morem gereret. Ideo sanctorum vitas elegantiori stylo perpolivit vel etiam metrico rhythmo ornavit. Hæ certe non indigent ut acri singulæ excutiantur judicio: nam eadem fere omnibus compositionis ratio : idem orationis tenor ; nec præterea quo facilius in ecclesiasticos annales introspicias aliquid tibi præbebunt, sed tantum quæ ignoti credulique excogitaverint auctores. Cuique enim Ecclesiæ, sui, ut ita dicam, tunc temporis annales erant, quibus quomodo ad Christi religionem unaquæque adducta fuisset, quos habuisset Evangelii præcones, quos sanctitate, vel maxime miraculis conspicuos viros tulisset, posteris mandatum erat (1). At stylo plerumque inornato horrebant ejusmodi scripta: multa insuper retinebant ab incerto repetita fonte, vel obscuriori memoria tradita, quæ si prioris ætatis homines, aut nimia delusi ingenuitate, aut ardenti in religionem studio impulsi (nam quæcumque nascuntur magis placent) facilius admiserant, Marbodi fastidiosior respuebat ætas. Hinc quascumque sanctorum vitas obsoleti edixerant auctores, jam incudi reddebantur tum quo politiores fierent, tum quo speciem

(1) De istis sanctorum vitis plurima eleganter disseruit Guizottius. *Hist. de la civilis.* xviime leçon.

illam prope poeticam nec fabularum dissimilem exuerent (1). Cujus in partem operis iterum atque iterum adscitus est Marbodus : et primum sancti Maurilii canonici Nostrum rogaverunt, ut eorum patroni vitam ab anonymo exaratam expoliret. Mox sancti Gualterii gesta simili exornavit opera. Dein, jam Rhedonum episcopus, quæ de beato Roberto sanctoque Magnobodo veteres ediderant, simplici et brevi oratione explicare voluit; neque quo præditus erat religionis sensu, ullam hujus laboris mercedem sibi tribui statuit; quasdam tantum preces singulis annis pro suorum peccatorum remissione effundendas curavit.

An vero id quod voluerat assecutus fuerit, multum dubitaverim. Nam, quæ apud eruditos sedere sententia cœpit, non historiis tantum, sed cantilenis quas vagi per pagos et compita circumferebant circulatores, enotuerunt Sanctorum gesta (2). Quo potissimum ex fonte

(1) Ipse Marbodus rem haud obscure significat in procemiis unicuique operi præmissis. Sic enim se habet vitam S. Licinii incipiens : « Prodesse posse putamus, si nihil gestorum prætermittentes...., diversas adjectiones et replicationes... ex toto recidamus. » Idem in prologo S. Roberti vitæ : « Vitam B. Roberti quam ex discipulis ejus quidam, veraci quidem, sed difficili et prolixo stylo narravit, simplici et brevi oratione, juvante Deo, tentabimus explicare. » Patr. Lat. CLXXI, 1494, 1506.

(2) Edelestand du Meril : « Si nous ne possédons plus beaucoup de poésies populaires latines, de nombreux témoignages ne permettent pas de révoquer en doute leur existence. Ekkehard IV nous a conservé dans le *Casus sancti Galli* le souvenir de chants populaires certainement écrits en latin sur Kursibold, Ernest, saint Ulrich. Probablement on retrouverait des fragments de ces chants dans plusieurs légendes, ainsi que M. Lenormand a cru le faire dans la *Vie de saint Droctovée*. Bibl. de l'École des Chartes. I, 21. » *Poésies populaires latines*, 41.

quæ nobis tradiderunt hæc hausere prisci vitarum auctores. Nec mirum igitur, si iisdem vitiis quibus scatebant antiquiora illa carmina, horum et corrumpantur scripta, in quibus, si diligenter attendas, membra disjecti poetæ, rudis quidem et ad indoctas populi aures accommodati, profecto invenies. Ad hanc emendandam labem incubuit Marbodus, cujus sane castior et nitidior effluit narratio. Quid vero? Elocutioni castigandæ unice studuit, et præstans ingenii acumen ad id tantum valuit, ut copiosior verborum evolveretur circuitus, passimque Scripturæ locis narrata spargerentur! Futilior quidem quæque merum scholasticum deceat cura! Cui vero diligenti rerum inquisitori, potius ad res quam ad verba attendenti, non sorderet inutilis ille labor, quo scriptis doctior quidem species obtenditur, fides vero minuitur. Ex his tamen, quod supra jam innuimus, colliges, eo tempore, orationis colorem, verborumque electionem, doctamque sententiarum expositionem in magna laude haberi cœpisse. Multa insuper ex sanctis libris excerpsit Marbodus, quæ fidibus aptaret latinis. Quædam et de arte scribendi præcepta libellis consignavit: quæ quidem a nobis fusius tractanda erunt.

Nec omittendi sunt versiculi illi quos lusus vel solius venustatis causa Scholasticus noster effudit. Quum enim quodam juvenili ardore ad musas raperetur, nugis ludere poeticis et ipse in deliciis habuit; nec abstinuit, quominus gemmarum naturas evolvens pravis vulgi erroribus assentiri videretur. Quarum ineptiarum postea

quam mœste memoriam renovat! Quanta motus pœnitentia se inania consectatum fuisse fatetur!

> Quæ (inquit) juvenis scripsi, senior dum plura retracto
> Pœnitet, et quædam vel scripta, vel edita nollem,
> Tum quia materies inhonesta levisque videtur,
> Unde..................
> Vel delenda cito, vel non edenda fuissent (1).

Ad hanc etiam Marbodi ætatem referenda sunt epigrammata quibus hunc vel illum non sine multo sale vellicabat; infelici quidem exitu: nam quum urbani lusus voluptate captus, jocosa in alios dicta imprudens jactitaret, sæpe accidit, ut inde odia orirentur et in Marbodum simultates aliquæ exercerentur. Quæ quum præsensisset Marbodi quondam magister et amicus Gualterius, poetam ad compescendos dicacis musæ sales hortatus est. Quod grave prudentis viri consilium prompto animo Noster obsecutus est (2).

Plures vero, Gualterii instar, Marbodo adhæsere, familiaremque eum eo et quasi domesticam iniere

---

(1) Marbod. *De Dec. capit.*, I.

(2)
> Quid et quod et immitem sic vis excludere litem
> A nostris ludis, ut verbis scribere nudis,
> Expertesque salis versus me fingere malis
> Mentem lectoris, quam lædat causa saporis.
> ....
> Ergo tibi cedit, tibi Clio libenter obedit. — *Carmina varia.* 31.

Cum duplex numeretur variorum Marbodi carminum series, quo facilius ad commemoratos versus recurratur, alteram seriem quæ prior occurrit apud Beaugendre litteris romanis, alteram arabicis distinguendam censuimus.

amicitiam, quæ longam vetustatem vincere potuit. Horum nomina sæpius in Marbodi carminibus reperire est (1) : unum autem hic referre liceat, Samsonem scilicet Westriensem. Hunc tenerrimo fovebat amore Marbodus, a quo quondam hospes exceptus, muneribusque cumulatus fuerat. Unde jam canitie redimitus tempora, suavissimo repletis affectu versiculis, Samsonem compellat Noster :

Opto tuum vultum, mi præsul, cernere multum,
Amplectique senem quem colui juvenem,
Sacratasque manus cano conjungere canus,
Colloquioque tui, dulcis amice, frui (2).

Is erat Scholastico nostro vitæ tenor studiosa laborum cura suavique amicorum consuetudine temperatus. Annis autem singulis, reverso feriarum tempore, rustica prælibandi gaudia cupidus ad quamdam patrueli villulam se Noster conferebat. Hic strepitum urbis fugiens, ab omni tumultu remotus, arborum frigus, rivulique susurros avido captabat animo. Quare dilectissimam villulam carminibus effert; hanc canit, hanc amat; hac felicitatem sibi partam asserit. His postquam refecerat animum puris sane gaudiis, alacrior domum avitam redibat, diligentiorique cura juvenum

(1) De Marbodi amicis, discipulisve, vide quæ fusius edidit, jam laudatus Rangeard. Loc. cit.

(2) Marbod. *Carmina varia*. 21.

ingenia erudire mollesque fingere naturas nitebatur. Hinc fama non minus quam ingenio clarescere cœpit; cujus nomen et carmina, eodem Gualterio auctore, per varias Galliæ provincias diffundi, imo per orbem volitare didicimus (1). Quanti autem eum fecerint Eusebius, quique post hunc vicissim Andegavensi Ecclesiæ præfuerunt, Godfridi duo (2), testantur tam longa Marbodi, quatuor scilicet et decem annorum, in regendis scholis stipendia et summum Archidiaconi munus, quo tandem ille dignatus est. Quod diu exercere Marbodo non licuit. Nam cum in Gallias Urbanus Pontifex Summus transiisset, belli adversus Sarracenos excitandi causa, celebreque Turonum concilium habuisset, communi præsulum judicio Rhedonicæ civitatis episcopus Noster creatus est. Statim vero (mirum modestiæ exemplum) hunc honorem abhorruit Marbodus (3). Forsan et quas dilexerat litteras, sanctissimo muneri posthabendas, amicisque et avitæ domui et villulæ, vitæ denique optatissimo generi valedicendum esse, non sine quodam animi dolore, sentiebat. Accedebant etiam quæ timidum mitemque animum terrere poterant, Britannis ingenita quædam ferocitas, asperaque indoles Marbodo notissima. Junior enim, odioque, quod adversus Britannos

---

(1) Marbod. *Carmina varia.* 34.

(2) Tresvaux. *Hist. de l'Église d'Angers.* I (Ann. 1082-1096).

(3) *Epitaph. Ulgerii.* Patr. Lat. CLXXI. 1464.

exercebant Andegavi, serviens, hæc de Rhedonicis civibus scripserat Marbodus :

Urbs Rhedonis, spoliata bonis, viduata colonis,
Plena dolis, odiosa polis, sine lumine solis,
In tenebris vacat illecebris, gaudetque tenebris,
Desidiam putat egregiam, spernitque sophiam,
Jus atrum vocat omne patrum, meritura barathrum,
Causidicos per falsidicos absolvit iniquos,
Veridicos et pacificos condemnat amicos... (1).

Quæ tanta probra, tam duro atrocique stylo exarata, quam inique civitati Rhedonensi adscriberentur, nemo est qui non videat. Illud tantum modo affirmare voluerim turbulentos et ad jurgia promptos tunc temporis Britannos evasisse. Quod, in epitaphio Marbodi, innuere videntur sancti Albini monachi; nam inter gentes barbaras et quadam naturali severitate armatas, non dignitatem, sed onus eum exercuisse memorant (2). Non immeritis ergo cum angustiis premeretur Marbodus, nolens atque coactus, ab ipso Summo Pontifice consecratur (3). Jam vero pontifex creatus Marbodus, aliam quasi personam induens, dotibus quæ religiosum præsulem exornant, repente excelluit : quod ut paulo fusius expendamus, de Marbodo episcopo alterum inibimus articulum.

(1) Marbod. *Carmina varia.* 37.

(2) *Epist. Encyclica.* Loc. cit.

(3) Tresvaux. *Hist. de l'Église d'Angers.* I, 184.

II

DE MARBODO EPISCOPO

Quamvis modesto et quasi humili gressu effugerit Marbodi episcopi vita, non semel tamen vetera commemorantur instrumenta, in quibus Marbodi nomen adscribitur. Hinc novimus Marbodum, quod optime episcopum decet, pluribus adfuisse conciliis. Nempe conventui ecclesiastico qui apud Namnetes habitus est, anno Christi 1103, aderat Marbodus (1). Idem inter pontifices qui Træcas, anno 1104, convenere annumeratur. Constat etiam, cum solemniter efferretur dux Britanniæ, *Alain Fergent*, piis exsequiis inter religiosos viros haud ignotum adstitisse Marbodum (2); quod iterum ei contigit, in augusta Cathedralis ecclesiæ, apud Cenomanenses, dedicatione, cum ipse oculis orbatus, et ne pedibus offenderet, a clericis adjutus, virtutibusque et ætate venerabilis, omnium in se oculos convertit et

(1) Dom Maurice. *Histoire de Bretagne.* I, 85.

(2) Id. II, 136.

altare sanctis Apostolis Petro et Paulo dicatum Deo consecravit (1).

Quæ quanquam pauciora sunt, clare tamen significant Marbodum ab omnibus episcopum religione et doctrina illustrem haberi solitum. Insuper minime spernendum indicium de eximiis quæ præsulis nostri animum agitabant curis epistolæ Marbodi præbent. Quarum prima ad Raynaldum Martigniacensem, Andegavorum episcopum, mittitur (2). Neque enim patriæ immemor Marbodus dilectissimam civitatem penitus ex memoria excedere passus est. Imo in eligendo ejus episcopo, plurimum, infelici quidem labore, insudavit. Nam, defuncto Godfrido secundo, tumultuaria quidem electione, adolescens haud certe ignobilis, at legitimam ætatem nondum adeptus, episcopus renuntiatur (3). Hinc acres exoriuntur lites. Nam Raynaldum Martigniacensem, (hoc novi episcopi nomen), nequaquam consecrandum esse plures dictitabant gravissimi viri, quos inter præcipuum obtinebat locum Hildebertus Cenomanensis; cui quamvis amicissimo obstitit Marbodus, Raynaldi partibus tanto cum studio adhærens, ut Romam ipsam, non itineris periculo territus, petere decreverit (4). Vix autem Andegavorum fines attigerat, quum subito, Stephani cujusdam insidiis de-

(1) Cf. *Un évêque au XII*[me] *siècle,* par le comte Deservillers. IX, 236.

(2) Patr. Lat. CLXXI, 1465.

(3) Cf. Hildeberti epistolas. Patrol. CLXXI. Epist. II. 4, 5, 6.

(4) Beaugendre. in præf.

ceptus, ab adversariis corripitur, vinculis oneratur ferreis et in fœdum carcerem compingitur (1). Quæ, tam gravi oppressus miseria, mala perpessus est Marbodus, ipse forsan descripsit, quum hos de captivi pœnis versus ederet :

Carceris angusti tenebras, frigusque famemque
Atque sitim, vigilesque metus, larvasque minaces,
Et fera monstra breves miseri rumpentia somnos,
Præterea ferri pondus, duplicesque catenas,
Arctatis quibus exeditur macilentia cruris ;
Tum gravis ærumnam lecti, quo fessa jacentis
Membra frequens nodus terit et brevitudo coarctat;
Terribilesque minas, tormentaque tristia, quorum
Nomina vel species horror vetat enumerare,
Pædorisque situm, sordesque madentis oleti,
Ecce quater denis jam noctibus atque diebus
Intolerabiliter tolero, vivoque sepultus (2).

Vinculis tandem resolutus, ad præsulem turonensem properavit Marbodus eique suasit ut Raynaldum consecraret : quod, ipso Marbodo adjuvante, peractum est. Inde, cum nulla alia hujus litis dirimendæ pateret via, Romam, ætate jam provectus morboque fractus et anhelans, se contulit, ibique apud Paschalem Pontificem causam Raynaldi ita feliciter egit, ut quamvis gravi vitio electio laboraret, eam tamen, suprema auctoritate

(1) Patr. Lat. CLXXI, 1466.
(2) Marbod. *Carmina varia*. 26.

sanxerit Romanus Pontifex (1). At ingratis nimium vicibus res variantur humanæ ; ipsaque amicitia sæpius inopinato decidit, nedum semper inconcussa remaneat. Quod et Nostro accidit. Eum namque Raynaldus ipsissimus ille, quem tantis beneficiis cumulaverat Marbodus, tot laborum immemor, solemni injuria affecit; siquidem hunc a finibus Andegavorum expulsum, bonisque omnibus quibus in patria fruebatur urbe spoliatum, rejecit, et ad papam provocavit. Ingens dolor Marbodi pectus invasit, ideoque ipsi Raynaldo epistolam direxit lacrymarum miserabili quasi rore aspersam, quam qui legerit, quis fuerit Nostro mollis et tener animus, sine dubio mirabitur. Pluribus quidem et justis repletur querelis, in quibus tamen non irati animi impetum, sed patris graviter læsi dolorem, percipies. Orditur enim auctor noster gravitatem injuriæ sibi illatæ explicando; tum crimine quo ab adversariis perfide arguebatur se ipsum solvit : labores postea, pro Raynaldo susceptos, carcerem et vincula, longioris itineris pericula, tot apud summum Pontificem preces cum lacrymis effusas, pecuniam denique ipsam, seu Raynaldo liberaliter commodatam, seu pro ejus impensa consumptam miserabiliter memorat. Deinde juvenem severioribus admonet verbis, ne iræ tam facile indulgeat; quippe quæ, Raynaldum omnibus odiosum, multorum truderet in perniciem.

---

(1) Beaugendre, loc. citat. — *Histoire de l'Église d'Angers*. I, 195.

Hæc equidem Marbodus. At nobis illa legentibus quam perspicue, vel scribentis persona, vel hominum quibuscum versabatur mores, sese offerunt! Sermonis enim gravitas et frequentes sanctorum librorum loci, religiosam personam satis designant cujus muneri non impar effunditur oratio (1). Cum autem veteres Romanorum poetas (2) vel philosophos libentius Noster commemoret, quis non statim juventutis præceptorem, ac in scholis exercitatissimum virum agnosceret? Insuper illa frequens veterum scriptorum commendatio soporem, qui decimo labente sæculo artium studia oppresserat, vivente Marbodo excuti cœpisse ostendit. Difficillima enim tempora effugimus, quibus novo quod Carolus condiderat imperio undique concidente, novisque in Europam barbaris irruentibus, nullus fere litteris honos, nulla humaniori arti cura præbebatur. En quasi in incunabulis, quæ nunc orbem regunt, vagire videntur nationes: in proximo est illa percelebris medii ævi ætas, quam tot egregiorum virorum turba nobilitat. Quin imo in illa movemur et sumus, si saltem ad miram Marbodi eruditionem, limatumque et scholasticum dicendi modum respexeris. Quid vero de ho-

(1) Haud immerito quidem Marbodum sic prædicant Hist. Litter. Gal. Auctores: « L'usage qu'il fait de l'Écriture et des Pères dans ses différents ouvrages montre qu'il avait puisé dans ces sources pures et qu'elles lui étaient familières. » *Hist. Littér.* x, 389.

(2) Ut unum ex multis proferam, Juvenalem sibi patronum assumit Marbodus notissimum hunc referens versum :

« Vindicta qua nemo magis quam femina gaudet. » *Sat.* XIII.

minum moribus tunc degentium! Quales illos fuisse Marbodi verba declarant! Jura nempe sibi nata fuisse quisque violentior negat: hic immeritis vinculis oneratur insons: absque judicio condemnatur absens: vi et fraudibus tota res ecclesiastica geritur, donec, sedatis animis, crudeles iras fraterna quædam excipiat amicitia.

Tota dicendi ratione discrepant aliæ Marbodi epistolæ: siquidem in illis nec querelas, nec criminum excusationes invenire est: nec qui eas scripserit causam apud amicum orare, sed episcopum ad ministros, doctorem ad discipulos vocem et curas adhibere recte dixeris.

Hic nobis dicendum de notissima Marbodi ad Robertum Arbrissellensem epistola. Quam velut commentitiam aliqui (1) agitant, quibus virum pietate celebrem duris fuisse obnoxium opprobriis, mirum, ne omnino absurdum, videtur. Quare et non ineptas rationes concludunt, cur litteræ illæ, Marbodo utpote indignæ fraudemque redolentes, rejiciantur. Hos acri disputatione expugnant qui litterarum in Gallia historiam, diligenti undequaque conquisitione, conflaverunt. Quorum quum argumenta exponere longius esset, liceat tamen doctissimi Mabillonis verba in medium afferre: « Marbodum, inquit, verum hujus parentem epistolæ esse non dubito. » Nos quoque optimi viri sententiæ adhærendum censuimus; nihil

(1) P. de la Mainferme. Beaugendre. P. Alexandre. Cf. *Hist. Litt.* x, 359.

quippe in his litteris, neque subscriptionem, neque exordium, neque ipsum dicendi genus, neque varios scriptoris sensus, neque multam sanctorum librorum usurpationem, invenimus, quod non Marbodo apte congruat et accommodetur. Multiplici autem objurgatione Robertum exagitat Marbodus. Indignatur enim quod mulieres apud se immorari diutius Robertus patiatur, tum quod pannosi habitus insolentia idem se redarguendum pluribus ostendat, tum denique quod ad vitam religiosam temere viros ac feminas improbatos impellat amplectendam (1). Quæ multo nec non et acerbo sermone explicat Marbodus, adeo ut mitem illius animum tanta indignatione adversus Robertum, quem sanctum venerabantur undique populi, et pontifices ipsi colebant, efferbuisse vehementer miremur (2). Sed et in nostram mentem venit, ipsius Roberti vitæ rationem, singularem, imo stupendam exstitisse, atque virum sermone potentem, ingenio eximium, religione illustrem, incredibili favore a plebe exceptum fuisse: passim ad illius pedes turbas provolvi, passim vestigiis ejus adhærere : nominis tandem illius fama totas Gallias personare. Unde minime mirum est ab invidis Marbodi mentem occupatam et adversus Robertum inique suscitatam fuisse. Cujus iniqui animi aliquem etiam sensum expromunt duæ quæ ad familiarem Roberti Engilgerium diriguntur, epistolæ.

(1) Marbodi. Epist. CLXXX, 1480.

(2) De Roberti vita, Cf. *Hist. Littér.*

Quem cum rescivisset Marbodus contra iniquos sacerdotes asperius invehi, adeo ut plebem oblationibus eorum interesse vetaret, nimium cohibere ardorem conatus est. Brevem itaque epistolam ei misit, qua, multis tum de Scriptura Sacra, tum de Augustino depromptis argumentis, immodicum rigorem refrenaret. Porro ne quid talis erroris apud subditos admitteretur, tanto plus cavendum erat Marbodo, quanto audacius tunc contendebant aliqui qualibet labe omnem presbyteris adimi auctoritatem. Unde hæc non imprudenter Marbodus : « Quid habet aliud novus eorum error, qui Patarini (1) vocantur, quam ut per ministrorum indignitatem ecclesiæ catholicæ sacramenta vilescant ? » Engilgerius autem gravibus obsequens monitis, quippe non aliam ac Marbodus fidem amplectebatur, professus est se dum ab indignis sacerdotibus plebem arceret, unum tantummodo intendere, scilicet ut ab hæreticis abstinerent populi. Quo responso gavisus est Marbodus. Attamen litteras iterum Engilgerio direxit quibus illi inculcaret non temere aliquem inter hæreticos adscribendum, sed quem, solemni judicio, a fide vera declinasse statuisset Ecclesia. Brevissima sequitur ad Vitalem (2) quem puellarum cœno-

(1) De *Patarinis* vel *Catharis* qui ex Orientalibus plagis oriundi, mox per Italiam, deinde per Galliam, Marbodi tempore, effusi sunt, multa habet doctissimus Muratori. — V. Pluquet. *Dictionn. des hérésies*, art. Patarins.

(2) Forsan et de eodem Vitale agitur, qui Roberti socius celebre Saviniacense monasterium exstruxit.

bio præesse novimus epistola. Hæc non minus Marbodi caritatem quam illius in litteras studium commendat. Disserit nempe de puella quadam, patre orbata, ac nummis, quorum ope inter religiosas virgines acciperetur, egente. Hujus apud Vitalem causam agit Marbodus: quæ, st fortunis expers evasit, mente dives est; nam, ait Noster, litteras partim didicit. Quam virginis scientiam miratur merito Marbodus, eorumque qui scientiæ nummos anteponebant avaritiam increpare non dubitat (1).

Hoc certe paupertatis vitio minime laborabat nobilis quædam illustrisque femina, Agenoridis nomine, cui sapientissimam vitæ regulam tradidit Marbodus. Illa quippe divitiis et egregia forma insignis conjugis filiorumque amorem religioni postponens, vitam Deo voverat. Quod ad propositum servandum Agenoridem hortatur Marbodus. Cohortatio autem illa innumeris, adeo ut mentem fatigent, Scripturæ locis repletur. Imo, dum brevitati consulit Noster, formulam breviorem ex majorum sententiis comparat : tum Tullium ducem sibi potissimum assumens quatuor virtutes, quas de officiis scribens partitus est Cicero, maxime prædicat atque in eis perfectæ vitæ summam consistere contendit. Eadem virtutum partitione usus est Marbodus, quum de sancti Florentii vita concio-

(1) « Prava tamen consuetudo in antiquis monasteriis obtinuit, apud nos, ut pecunia scientiæ præferatur. » *Marbod. Epist.* Patr. Lat. CLXXI, 1474.

nem apud plebem habuit: tanta antiquarum disciplinarum religio, tantus philosophorum cultus, horum temporum litteratis viris inerat (1)!

Porro, dum Rhedones paterno foveret affectu Marbodus, amicitias piissimo cultu observare non desistebat. Etenim si Hildeberto Cenomanensi ad eum scribenti attenderis, certe amantissimis quibus amicum compellat verbis non est quod non commovearis (2). Scilicet, haud bene conscius eorum quæ ab imperatore Henrico Paschalis Pontifex romanus passus fuerat, Henrici partibus accedere videbatur Marbodus. Ab hac ergo sententia dehortatur amicum Cenomanensis et gravissimo sermone quemadmodum res se gesserit ipsi explicat: quam curam suscepturum fuisse Hildebertum minime versimile est, nisi hoc optimo amicitiæ officio dignum Marbodum æstimasset. Nec in Gallia tantum, sed et in Britannia majori, familiaribus quibusdam amicis utebatur Marbodus. Jam aliquid de Samsone Westriensi (3) attigimus. Huic adjungere liceat Lincolniensem episcopum, et ipsam Anglorum reginam,

---

(1) Longe abest ut solus ista illa partitione usus fuerit Marbodus. Ut iterum unum vel ex æqualibus proferam, Bernardus Claravallensis eamdem adhibuit. Serm. 52 de diversis.

(2) « Tu autem cor meum et gloria mea, deliciæ regum, principum gratia, amor in populis, exemplar honesti, speculum gratiæ, decus in clero, fidei forma, et nostrorum Orpheus sæculorum, persona fidibus, et modulos dulces vocis adjunge. » Ven. Hildeb. *Epist.* II, 22.

(3) Cf. pag. 11.

Mathildem (1), quam epistolis quandoque recreabat Hildebertus. Ad hos iter quondam se fecisse Marbodus ipse testatur. Hos facili et elegantiori musa delectare assueverat.

Hoc quippe nobis animadvertendum se obtulit, Marbodum, curis licet pluribus ac ingentibus impeditum, non ideo carminibus supremum valedixisse. Non desunt enim poetæ quibus, dum adolescentia incalescunt, uberior, fluit vena mollioresque animus induit affectus, ita ut quidquid scribere tentent versus sit. Sed postquam frigida senectus celeritatem ingenii tardis compescuit moris, tunc illis hebetatur mentis acies et nonnisi reluctante musa morbidos et exsangues versus vix exprimere valent. Longe aliud Marbodo contigit: qui postquam adolescens, imo vir factus, inornatos ac putidos luxuriavisset versns, annorum successu, non tam ingenii senectutem quam gratam et felicem maturitatem adeptus est. Itaque corpore quidem senex, mente autem vegetus, supremum illud edidit de decem capitulis carmen, quod tantum aliis operibus ejus præstat, quantum opus, cui manus suprema accessit, ab imperfectis tironis cujusdam periculis distinguitur.

Sic religioni, litterisque intentus, longum ævi spatium traduxerat Marbodus, quum tandem octogesimum adeptus annum, luminibus amissis, mortemque imminentem prævidens, sponte dignitatem abjecit.

---

(1) *Carmina varia.* XXIV.

Tunc Andegavos felix reversus est (1); nec tamen domum avitam in qua olim tam dulcia libarat gaudia rursus inhabitare statuit.: sed, quo aptius ad supremam, quæ jam illucebat, diem momenta disponeret, animumque ab omni vel sollicitudine vacuum religioni adscriberet, Cistercienses monachos sancti Albini adiit, atque inter eos commoratus est. Quam sanctissimam vitam diutius agere Marbodo non concessum. Septimum enim vix mensem excesserat, religiosam vestem indutus, cum e vivis ereptus, ingens sui desiderium non Rhedonibus tantum, sed frequentibus amicis reliquit: illum amplissimis ornavere laudibus, tum religiosi viri quibuscum supremos exegerat dies (2), tum Ulgerius (3) doctissimus Andegavorum præsul, tum denique Rivallo, Marbodi quondam alumnus (4).

Reliquum nobis est ut quæ diximus paucis contrahamus verbis Marbodique indolem ex ejus vita jam descripta expromamus. Nemo quidem ad inficias iverit, miti et modesto, licet plurimum salibus delectaretur, animo Marbodum præditum fuisse: sane, is non fuit Noster qui honorum vel divitiarum cupidus vel ambitione amens, quibuscumque modis, fortunam vel dignitates assequeretur. Parvulo rure, parvula domo

---

(1) Beaugendre, *in præfat.*

(2) *Epist. Encyclica.*

(3) Ulger. *Epitaph.*

(4) Rivall. *Epitaph.*

gaudens, solo litterarum amore percitus, quæ in ipsa natali urbe oriantur dissidia, quæ tractentur negotia, quæ moveantur bella, qui resonent in foro clamores, ignorare, vel certe negligere videtur. Nec præclaris aliquot gestis, sed carminibus tantum, quæ quasi otiose nectit, ad famam producitur; qui tandem ad summum evectus munus viginti et octo annis delitescit et quasi in tenebris absconditur. Sola eum amicitia ad id inducere potuit ut patriam relinqueret, longinquam adiret regionem, spreto infirmæ valetudinis jure: cujus laboris, ut videre fuit, adeo ingratus exitus evasit, ut minime objurgandus sit Marbodus, si semel deceptus, intra suos se continere fines proprioque unice officio consulere deinceps statuerit. Ex quo colligere liceat, quam de se ipso modeste senserit Marbodus, vir ceterum litteris ornatissimus, amicisque deditissimus.

Hos ingenii habitus Marbodo fuisse, si carminibus ejus attenderis, facile intelliges. De quibus in altera operis parte nobis dicendum.

PARS POSTERIOR

—

I

DE IIS QUI ANTE MARBODUM INTER CHRISTIANOS CARMINIBUS LATINIS STUDUERE.

—

Antequam Marbodi carmina quasi ostiatim pulsemus, forsan operæ pretium erit evolvere quos novos induerit habitus, Christi religione afflante, camœna latialis antiqua. Sic plenius quæ fuerint Marbodo vati dotes, quibusve criminibus merito arguatur, elucebit.

Vix enim, Constantino imperante, sæva tortorum flagella Christi religio effugerat, quum, ut blandiretur animis meliusque ad se corda traheret, ipsa fides tractare latinas et mulcere aures cantibus aggressa est (1). Tunc primum sprevere vates, divorum fabulas

(1) Georg. Fabricii *Thesaur. vet. poet.* in præfat. Vide etiam Adolf. Ebert, *Geschichte der christlich lateinischen Litteratur von ihren Anfangen bis zum Zeitalter Karls des Grossen,* 1 vol. in-8° 1874. (Leipzig, Vogel.)

heroumque portenta, totque nugarum negligentes per ardua Christianorum dogmatum rapti, Deum ipsum, Christumque Redemptorem et Martyrum fortiter gesta poetici sermonis lætitia ornare enixi sunt. Nec fuit, ut ita dicam, ullum carminis genus, quod intentatum reliquerint, quarto vigente sæculo, christiani vates.

Ille scilicet, cujus nomen vetustate obruitur, versibus heroicis, Christum morte oppressum, mortisque subito ululantia invadentem regna canit (1).

Hic Deum creatorem extollit et quæ in homines contulit Numen beneficia celebrat, id est, virentem, vere redeunte, terram, uvas nectare tumentes, flavamque per campos messem (2).

Alius sylvestrem Virgilii musam christianis sensibus induens, neque Daphnim, neque Melibœum turpes modulatum amores inducit, sed pastores, qui dum pecora tabe confecta lugent, docentur Christi divinam efflagitare opem (3).

Illi neque omittendi, qui nobili carmine christianos explicaverunt annales et res a Christo gestas dulci musarum lingua retulerunt (4). Nobis etiam occurritis, tu generose pontifex, qui martyrum victorias, brevibus quidem, sed egregiis carminibus in marmoreis

---

(1) Anonymi *Triumphus Christi heroicus*. Patr. Lat. xix, 388.

(2) Anonymi *De Laudibus Domini*. Patr. Lat. xix, 380.

(3) Severi Rhetoris et Poetæ *Carmen bucolicum*. Patr. Lat. xv, 797.

(4) Juvencus Hispanus. Patr. Lat. xix, 9. Sedulius Cœlius, ibid. xix, 435.

lapidibus insculpendas curavisti (1), tuque quem nostra tulit Gallia, Augustini discipule, qui, sive ingratos exagites (2), sive uxorem, mundum relicturus, alloquaris, sive Providentiæ circa orbem operam evolvas, uberiore quasi afflante camœna, non condere sed effundere versus videris (3). Quid vero de christianis qui Pindarici fontis haustus non expalluere, Prudentium dixi et Hieronymo amicissimum vatem, Paulinum (4)? Alter grandi quodam et splendido dicendi genere figurarumque illecebris nos invitatos corripit; quem si Martyrum laudes ovanti carmine celebrantem audieris, almus Græciæ vates, longa quidem, sed quam dulci ac larga ac nobili oratione heroas exornans, tuam in memoriam revocabitur (5). Alter suavi et mollissimo versu dulce movet, lacrymas elicit, cujus mellifluum dum resonat plectrum, intima tibi pertentantur pectora (6). Ambo illi aureæ vatum christianorum ætati fulsere sidera et quibus brevi moriturae supremum

---

(1) *De sancti Damasi carminibus*. Alphonse Couret. Parisiis. MDCCCLXIX. *De Damasi et Hilarii qui feruntur Hymnis sacris*. Holscher. Münster, 1858.

(2) Sancti Prosperi *Carmen de Ingratis*. Quod quanti fecerint recentiores hæc te docebunt illustris Guizot pauciora verba : « Ce livre est un des plus heureux essais de poésie philosophique qui aient été tentés au sein du Christianisme ».

(3) S. Prosperi opp. Patr. Lat. II.

(4) Patr. Lat. LIX, 41.

(5) *Histoire civile et religieuse des Lettres Latines au IVe et au Ve siècle*, chap. 3.—E. Delavigne. *De Lyrica apud Prudentium poesi*. Toulouse, 1848.

(6) Georg. Fabricii *Comment.*, p. 99.

arriserint Musæ spectandi sunt. Quippe non negandum prædictos vates jam ab augusta castaque Maronis vel Flacci dicendi via flectentes pravis aliquando studiis carmina infecisse, quibus sæpe inventionis electio, sententiarum planities et verborum modestia quasi veterno inquinatæ et antiquitatem redolentes displicent. Ceterum quam prudentes, quam sagaces pristinorum poetarum carmina sibi vindicant, et eorum publicos versus lepidis juncturis quasi suos faciunt! Ut in componendis carminibus jungendisque versuum numeris magistri exstant!

Hos altera excepit Christianorum vatum series, novis sed dissimilis moribus. Quippe non egregiorum poetarum longa commentatione, sed ex corruptis rhetorum officinis humanitatem sibi quærunt, nec toties ad magistros respiciunt, tutelæ sed suæ fieri suique tandem juris esse audent. Putidis scilicet figuris eorum laborant carmina, insolitis onerantur verbis, duris et præfractis resultant numeris ; iidem sed magnam sui æstimationem injiciunt tum vivida rerum descriptione, tum singulari in dicendo audacia : illud denique dicendi genus sibi adsciverunt quod æque senescentis disciplinæ vitia, et generosos populorum nascentium habitus fideliter exhiberet (1). Undique enim

(1) « Toute décadence paraît insensible; et souvent, en se corrompant, une littérature paraît se rajeunir ou s'éteindre ; se rajeunir par les artifices de style qui brisent la langue et la préparent à la barbarie, mais piquent et réveillent un goût émoussé ; s'éteindre, en confondant tous les genres, en violant toutes les connaissances ». Charpentier. *Hist. de la Langue.*

dissolvitur omnium gentium quondam victrix vetus Romanorum respublica : jam funditus excutitur antiqua societas, quæ humanitatis splendore, ad imitationem sui remotas compulerat gentes, quæ, si quamdam adhuc integritatem servare videtur (adeo enim sapienter et recte morata fuerat) ruptis tamen quasi laterum compagibus novos undequaque accipit populorum mores rimisque fatiscit. His temporum conditionibus maxime sollicitantur Sidonii carmina, quæ mira affectuum varietate, imo contrarietate temperata, hujus tumultuosæ ætatis effigiem referunt (1). Nunc enim solemni priorum vatum musa socerum imperatorem alloquitur (2) : nunc Francos, Clodione duce, in Gallias irruentes, mira colorum varietate pingit (3) : nunc Hunnos ferocem et barbaram gentem, horrido et atroci plectro canit (4) : nunc faciles minutosque versus effundit quibus nimium ingenii sui amator, levium carminum seriem, cui postea tot lepidi Galliarum vates incubuere, reserat (5).

---

(1) « La lecture de ses ouvrages, un peu pénible, n'est pas sans agrément. Il y a un vif intérêt dans ce combat douteux de la civilisation et de la barbarie bienfaisante. Ce combat, Sidoine le reproduit fidèlement ». Id. loc. cit. Cf. eruditissimum opus : *Essai littéraire et historique sur Apollinaris Sidonius*. A. Germain, Montpellier, 1840. — Vide etiam Chaix : *Sid. Apollinaire et son siècle*. 2 vol. Clermont-Ferrand, 1867.

(2) Sid. Apollin. Carmen VII. *Panegyricus Avit. Augusto.*

(3) Id. Carmen V. *Panegyr. Julio Valerio.*

(4) Id. Carmen II. *Panegyr. Anthemio Augusto.*

(5) Sid. Apollin. *Epist.* IX, 13.

Huic haud impar æmulus incedit Avitus Viennensis. Quo scilicet canente primam intuemur mundi originem, fraudes dæmonum novimus, deceptosque lugemus gentis humanæ parentes. Nec imprudens tantum suscepit onus tantasque res aggressus est : nam amplo sententiarum pondere, grandi, sibique semper constanti personarum effigie dignus evasit qui celeberrimo Britanniæ vati non viæ comes, sed dux existeret (1). Si autem ad Romam respexeris, tum barbaris vilem jacentem prædam, magno populi concursu Ecclesiam redundantem aspicies, tibique in promptu erit audire poetam Apostolorum acta versibus evolventem, infelicique Urbi non sævos bellorum triumphos, sed mite religionis sceptrum ominantem (2). Hunc neque silentio opprimere licet qui vanas jamjamque obsoletas rhetorum fabulas edoctus, sæpius in carminibus suis adultero quasi commercio sacrum profanumque miscet, quique genus quoddam acuminibus plenum ita consequitur ut nobis ænigmata quædam proponere non versus pangere appareat (3).

Qua turpi nota magis atque magis fœdatur labentibus annis musarum facies. Iis quippe quos tulit postera ætas, septimum scilicet sæculum, neque os

(1) Confer Thesim quam Facultati Parisiensi proponebat V. Cucheval, 1864.

(2) Arator. *Historiæ apostolicæ*. Patr. Lat. LXVIII, 63. — Vid. Ozanam : *La civilisation chrétienne chez les Francs*, chap. 9.

(3) S. Ennodii *Carmina*. Patr. Lat. LXIII, 19.

magna sonans, nec diviniorem mentem, nec splendidas voces, quibus olim deos usos fuisse finxerant poetæ, concessa credideris. Sordet Maronis stabile metrum. Rhythmus ille tantum colitur a Nasone quondam susceptus, quo alternis vicibus heroicum pentametro excipiente, delectantur barbarorum aures. Alma denique poesis res habetur ludicra; non populos erudire, sed reges, optimatesque delectare studet, et si paulum elegantiæ sibi quæsiverit, a multis contempta, vix quosdam litteris eruditos homines sibi conciliare valet. Luctuosis tamen hisce temporibus gratissimus adest vates, Pictaviensis præsul. Hic ex Italia ortus, familiaris musæ studia secum in Gallias advexerat. Hinc egregiis micant virtutibus carmina. Quis enim miseratione non moveretur, triste Thuringiæ excidium Fortunato deflente? Quis non mollissimo tangeretur affectu quum Galswintham immaturo funere raptam dolet eximius vates? Quem non illecebris traheret Fortunatus reginam Radegundam venusto carminum commercio fovens et recreans (1)? Illo tandem exstincto extingui penitus videtur Romanorum perpolita humanitas, quæ contactu barbarorum corrupta, aliqua saltem in vatum scriptis tenacia impresserat vestigia. Octavo siquidem sæculo altum quasi silentium Musas opprimit. Quis enim carminibus locus cum totus deflagret orbis? Hinc nempe feroci Arabum impetu

(1) Venantii Fortunati *Carmina*. Patr. Lat. LXVIII.

turbantur Hispania Galliæque ; illinc Italiam vastant Longobardi. At vix, Carolo imperante, a bellorum tumultu requiescit orbis, quum felicior exoritur poetarum seges. Horum princeps Alcuinus præcipuus in restituendis litteris Caroli adjutor. Legeris quos tot effudit versus haud ignobilis poeta : statim te capient florida carminum venustas, nitidusque optimarum litterarum sapor (1). Alium audias grandi voce judices commonentem quæ sint innocentiæ jura, quæ legibus æquis habenda sit reverentia (2). Tunc senties easdem Carolo auxiliatas fuisse, quæ olim Augusto romanam instauranti disciplinam sociæ fuerant, carminum illecebras. Nec statim, Carolo mortuo, e medio tollitur poesis. Spirat adhuc et Maroneum aliquid resonat seu de imperii divisione alte queratur Lugdunensis Florus(3), seu Walafridus nos per horrenda mortis regna trahat tremebunda adspecturos supplicia (4).

Is fuit litteris, auspice principe, ad lucem iterum renascentibus honor, turpibus heu! tenebris mox obrutus. Quomodo enim plerosque qui, decimo florente sæculo vel undecimo ineunte, carminibus studuere, poetas vocaveris ? His nempe nec sententiarum gravitas, nec ullus carminis lepos, nec sermonis integritas, nec

(1) De Alcuino lege John Lingard. *Antiquités de l'Église Anglo-Saxone*, 19.
(2) Theodulphi *Carmina. Paræn. ad judices*. Patr. Lat. LV.
(3) Florus Lugdunensis. *De Divisione imperii querela*. Patr. Lat. XIX, 9. Vid. Ampère. *Hist. Littér. de la France*. L. III, chap. XI.
(4) Walaf. Strab. *De Visionibus Witini Carmen*. Patr. Lat. CXIV.

denique aliqua animos flectendi cura. Nec mirum : Europam funeste undique deturbabant arma civilia : accedebat barbarorum nova illuvies, Northmannorum scilicet, per orbem effusa; his adjicias anxium timorem, quo, adventante millesimo ætatis christianæ anno, occupabantur gentes. Te denique non fugiat sermonis latini quotidiana velut corruptela, unde novis populis prout cuique indoles et habitus erant, novæ conflabantur linguæ. Tot igitur causis deturpata latina camœna horridam ac barbarie fœdatam exhibuit faciem. Inani siquidem concentu tunc delectantur poetæ; ita syllabas usurpant, ut vel in eodem versu bis terque idem percutiatur sonus vel saltem id maxime student ut qua singulus desinit versus syllaba, hæc inferiori similis concordi ejus excipiatur sono. Imo litteras ipsas insolenti vel puerili modo disponunt, et, ut uno verbo dicam, præstigiis verborum gaudent. Quis enim, ut duo saltem exempla afferam, sustineret Hucbaldum sic calvorum laudes evolventem ut prima uniuscujusque versus vox littera eadem C incipiat (1)? Quid de Rabano qui pio crucis amore raptus, magno molimine, carmina struit primas mediasque et ultimas consociando litteras, quibus inter se congregatis, non modo versus novos præstet, sed vanas rerum et personarum figuras, Christi scilicet, et Angelorum et Cæsaris et

---

(1) Hucbaldi, *de Calvitii laudibus Ecloga*. — Patr. Lat. cxxxii, 816.

Crucis describat (1). Nec tamen dixerim nullam antiquæ disciplinæ scientiam hujusce ætatis vatibus fuisse : quorum nempe in versandis assidua manu veteribus auctoribus summus quidem at ingratus exstiterit labor. Nam vel egregiorum poetarum imitatores nimii, ex alienis quidquid scripserint assumunt, ut videre est apud laudatorem Berengarii qui ad heroem extollendum carmina Statii, vel Annæi, vel Silii compilat et nonnisi ex commentariis sapit (2); vel nullam sibi ab indocta plebe laudem ex veterum imitatione accessuram confidentes, popularem quemdam sectantur rhythmum nec poeseos veneribus, nec colorum imagine, nec variis affectibus distinctum sed constanti numero seu plebis, seu regum ipsorum aures demulcentem. Cujus illecebris capti auctores quamplurimi nihil edebant, nihil de quacumque arte disserebant, nullum inter æquales laudabant, nullum epitaphium inscribebant quin statim hunc carminis tenorem adhiberent. Porro quam rudis, quam putidus, quam jejunus et exsanguis fluxerit ille, vel a doctis viris assumptus, innumeris exemplis probari posset. Sed ut ex turba aliquos saltem depromam nonne tibi fastidia movebit Adalbero duris et crepitantibus vocibus Robertum regem irridens (3)? Quis unquam, quis nostrum alterum illum

(1) Rabani Mauri *Carm. div.* Patr. Lat. CXII.

(2) Anonymi *Berengarii panegyricus.*—Patr. Lat. *Append. ad. X^m sæculum.* CLI, 1886.

(3) Patr. Lat. CXLI, 567.

præsulem ferret, qui de bello Trojano vetustissimas retexens fabulas, solo pentametro usus, ita varias metitur syllabas ut eadem tertio sextoque pede resonet (1)?

Quid de illis quibus placebat recentiora facta versibus exornare? Unde effluxere tot virorum egregiorum rhythmicæ vitæ, tot rerum a ducibus illustribus gestarum, indignantibus camœnis, scriptæ narrationes.

Hic Northmannorum ducum in Gallia victorias refert: nunc urbes, nunc flumina turgido salutat versu: nunc hostem putidis urget apostrophis, nunc heroem ipsum epithetorum grandine mulctat et obruit (2).

Ille eosdem Northmannos in Italiam secutus grandi eorum facta carmine celebrat: at a camœnis irrisus serpit humi nec pedem de cœno divellere valet, nec nisi tritas et de medio sumptas similitudines adhibet, nedum generosum aliquid et augustum spirent (3).

Alius longam et variis morbis, nocturnis præsertim speciebus, afflictam trahens vitam, legentes a negotiis sæcularibus avocare conatur. Longo igitur rhythmo, doctrinæ spiritualis principia evolvit, qui tamen velut tremens et invitus versibus utitur ac sibi verba sacra

---

(1) S. Berno. *Carmen de Bello Trojano.* Patr. Lat. CXLII, 198. — Cf. Edelestand du Méril. *Poésies populaires avant le* XII*e* *siècle.*— Introduction, 32.

(2) Dudo. *De moribus et actis priorum Northmanniæ ducum Libri* III. — Patr. Lat. CXLI.

(3) Guillelmus Apulus. *Historicum poema de rebus Northmannorum in Sicilia gestis.* — Patr. Lat. CXLIX.

profano retexenti metro veniam suppliciter poscit (1). Alius, natione Anglus, facili præditus ingenio vastam synonymorum seriem congerit, quo melius verborum vim doceantur pueri, nunc æquivocas signat voces, nunc orthographiam celebrare versu nititur (2).

Alius peritissimus musicæ magister varios modorum sonos, numerorumque percussiones versibus explicat: cujus carmen si æquales facultate consequi potuerunt longe ab ætatis nostræ intelligentia vel sensu disjungitur, adeo barbaris nominibus, obscurisque sententiis coalescit (3).

Quid ergo? Num per grande illud ævi spatium nullus enotuit cui vatis nomen merito deferamus? Num in tanto rhythmorum strepitu musæum ac poeticum melos nullibi audire continget? Absit equidem, ut tantam musis imponamus. injuriam. Nam quæ ad populares usus accommodata, in deterius ruerat, eadem turbas fugiens, in cœnobiis purior et integrior remanserat lingua latina. Itaque dum per aulas principum urbiumque compita rhythmus ille resonabat, altera quasi latebris et umbratili recessu secura poesis dulces edebat modos. Nos juvat igitur, cum tot pedestres strinxerimus versus, novos auscultare vates.

Hi procellosam rerum civilium jactationem horrentes

---

(1) Othlonus. *De Doctrina spiritali Liber metricus*. Patr. Lat. CXLV, 163.

(2) Joannes de Garlandia. *Synonymorum opuscula*. — Patr. Lat. CL, 1577.

(3) Guido. *De musica versus*. — Patr. Lat. CXLI.

per tranquilla humilis vitæ otia labori et litteris incumbunt, sese mutuo carminibus fovent, nunc triumphalibus hymnis memorias martyrum colunt, nunc cellulæ delicias recinunt, nunc quæcumque mens illorum meditando excogitaverit, poetica prosequuntur oratione. In multis equidem peccant : sed sæpissime diligenti verborum electione, nitido sententiarum cultu, ardenti denique mentis impetu insignes evadunt. Quos egregios poetas, quæ nobilia carmina, nobis seposuit felix Maronis et Flacci parens, Ausoniæ tellus : scilicet collem, olim a Silio Propertioque laudatum, iterum insidunt camœnæ.

Hic resonat Gnaiferii lyra, hic auditur Alphani plectrum (1). Allicit prior et delectat, tum de miraculo illius qui mortem sibi ispse conscivit breve et elegans poema fingens, tum sancti Secundini vitam fidibus elegiacis tractans. Alter, Prudentii laudati similis, canoris carminibus generosas extollit puellas, quæ sævum deludentes judicem duplici corona frontem redimere visæ sunt, vel dilectam Cassinensis domum, dulci pietatis sensu conditus, suave describit, vel Flaccum imitatus, antiquos Romanorum heroas in memoriam legentis nobili versu revocat.

Quibus egregiis vatibus ne unum quidem Gallia nostra

(1) Gnaiferius Monachus, Alphanus Salernitanus. *Carmina diversa.* — Patr. Lat. CXLVII. Qui fuerint isti vates, quibusve dotibus præcelluerint eleganter et erudite descripsit Alph. Dantier. *Monastères Bénédictins d'Italie.* I.

opponere audebit. Vidimus enim quot et quales poetas per id tempus extulerit. Eorum certe præstantissimi numerantur Cenomanensis Hildebertus et Marbodus noster. Attamen non est cur merito Hildebertum poetam appellemus (1). Quanquam enim mira fecunditate nos habet attonitos Cenomanensis, sæpius nos tædet carminum quæ rhythmi ejusdem nimia assiduitate, vel imaginum siccitate vel tardo verborum et anhelanti cursu, vel indigesta rerum commixtione deformantur. Unus insuper idemque semper vultus carminibus Hildeberti inest, neque is quo summum et singulare vatis ingenium expressis signis adumbratur, sed ille tantum qui ambiguis vix lineamentis descriptus obsoletam prope dixerim et cuique vati accommodandam formam exhibet. Qua scilicet in re, plane a Marbodo nostro vincitur.

Superatis igitur tot carminum spatiis, quæ jam inde ab initio de Christianorum vatum musa latina diximus, paucis contrahere verbis necesse est. Hanc enim vidimus summorum pedisequam vatum, illorum ad

---

(1) Hæc vero pace Hildeberti dixerim. Nos quippe non fugit, sententiarum gravitate et egregia rerum sive theologicarum, sive philosophicarum, sive etiam mathematicarum scientia spectatissima exstare Hildeberti carmina. Quæ igitur de ejusdem carminibus supra absolvimus, hæc tantum de specie et poeticis coloribus intelligenda esse volumus. Ceterum quod ad Hildebertum attinet, tibi clarius indicabunt Ampère. *Hist. littéraire*, et Hébert Duperron. *De Venerabilis Hildeberti vita et scriptis*, opusculum in-8. Vid etiam nuper editum opus : « *Un évêque au* XII*e* *siècle.* » Périsse. Lutetiæ Parisiorum, 1877.

exempla primo se totam composuisse; mox, turbata undique rerum humanarum facie, novisque imperium orbis populis affectantibus, grandem illam carminis latini speciem novo cultu temperare cœpisse; denique magis atque magis tum romanarum rerum, tum sermonis ipsius latini effetis viribus, omnem veterem exuisse elegantiam, puerilibus indulsisse ludis, et sui ipsius immemorem ad profanos usus usurpandam jacuisse. Sic frequenter inspicere solemus, puro quodam et largo fonte amnem oriundum cujus statim a capite vasti profluunt fluctus. Mox a rupibus et scopulorum faucibus compressi, dum velocius feruntur et torrentis instar præcipites irruunt, non jam augustam fluminis speciem, sed turbulenti cujusdam rivi formam referunt. Denique inani quasi labore fessi, dum per vastam planitiem vagantur, per rivulos dispersi sitientique arena absumpti, languere et turpiter recondi videntur. Nec alia fuit camœnæ latinæ fortuna. Quæ tot illustribus poetis primum frequentata nobilis et virtutibus insignis apparuit. Deinde velut barbarorum et temporum angustiis contracta, in deterius vergere cœpit. Denique novas sibi vindicans semitas, longius errare visa est, donec penitus novis reconderetur gentium sermonibus.

Attamen non omnis defuncta jacuit. Hanc novi manebant triumphi novique honores: cujus insperatæ quidem refectionis indicia non pauca apud Marbodum exstant: ad quem jam singulari cura attendendum est.

II

DE VARIIS MARBODI CARMINIBUS.

—

Quum jam viderimus quales fuerint per undecimum sæculum Christiani poetæ, singula tandem adeamus Marbodi carmina et quo facilius de iis judicemus, hæc inter se seponamus et in certa cogamus genera. Statim ergo de hymnis et carminibus sacris dicemus; deinde de iis quæ ad doctrinam adolescentium spectant; postea versus aggrediemur quos leviori effudit camœna. Tum de *gemmarum* et de *decem capitulorum* poematibus utpote aliis præstantioribus specialia instituemus capita.

§ I.

DE HYMNIS ET VITIS SANCTORUM.

Neminem fugere arbitramur ab ipsis divinæ religionis incunabulis (1) morem invaluisse per mysteriorum solemnia hymnos et varia cantica pangendi. Nec tantum Davidici psalmi populorum alternis vocibus modulati

(1) Sanctus Paulus ad tres canticorum species in epistolis suis alludit : « Ψαλμοί, ὕμνοι, ᾠδαὶ πνευματικαί. »

audiebantur (1), sed et Christi sublimia gesta (2), invicta martyrum virtus, mirum confessorum robur, casta virginum pudicitia, solemni populorum concentu celebrata respondentibus inter se adstantium choris resonabant. Quæ primum sacra carmina piam ac ingenuam priorum Christianorum fidem simplici oratione interpretantia, crescente in dies novæ religionis auctoritate, eruditorum cura perpolita, certisque rhythmi et numerorum legibus tandem subdita fuere (3). Cui labori maxime incubuerunt Ambrosius Mediolanensis, illustrisque Romanæ Ecclesiæ pontifex Gregorius. Populos quidem undique ad sacra convenientes mysteria plurimum juvabant hujuscemodi hymni, quorum verba mentes religione summa percutiebant dum rhythmus numerosa syllabarum comprehensione auribus blan-

(1) « Responsorius (psalmus) cum, cantore seu lectore singulos sigillatim psalmi versiculos canente, chorus eosdem versiculos respondebat, seu repetebat. Qui ritus ab ipso Evangelii exordio in Christianis conventibus videtur fuisse statim admissus. » Martène : *Tractatus de antiqua Ecclesiæ disciplina*, p. 19. Vid etiam Plinium. « Adfirmabant (Christiani), quod erant soliti, stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. » *Epist.* x, 97.

(2) Sancti Clementis Alexandrini, *Pædagogus*, ad finem.

(3) « Comme les psaumes, les hymnes furent divisées en strophes, et chacune était alternativement chantée en chœur par une moitié de l'assistance. La foule ignorante du peuple ne pouvait ni connaître les dernières traditions prosodiques, ni sentir le besoin de les respecter. Bientôt aucune différence ne distingua plus les longues des brèves ; souvent même les habitudes de la prononciation variaient d'une église à une autre. Pour rétablir l'unité dans le chant liturgique, saint Ambroise imagina une sorte de notation presque aussi prosodique que mélodique. » Edelestand du Méril. *Poésies populaires*. Introd. 72.

diebatur (1). Quum igitur in usum plebis verterent ista carmina et liberius imo arrogantius solemnitatibus miscerentur, pullulare quasi cœperunt et vario prosarum, seu sequentiarum nomine appellata ecclesias invadere. Hanc sibi provinciam quisque vel indoctus arripuit, sola religione afflante. Inde innumeri prodiere hymni in quibus si minime veteris prosodiæ leges servatas fuisse inveneris, attamen sæpius occurrunt mirus cogitationum splendor et sublimitas quædam, et altissimus religionis sensus. Nulla vero ætate, uberior hymnorum fetus fuit quam tempore Marbodi. (2) Hic nempe succurrunt et Fulberti carmina (3), Notkeri (4) et Gotescalchi (5) sequentiæ, innumerique illius generis rhythmi inter quos eminet illa celeberrima de Sancto Spiritu prosa quam ab ipso rege Francorum

---

(1) « Ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. » S. August. *Confess.* x, 35.

(2) « Vers la fin du x[e] siècle, et au commencement du xi[e], probablement aux approches de l'an mil, et dans les affres que provoquait l'attente de la fin du monde, il arriva que dans les monastères on ne trouva plus l'office liturgique assez long, et que, par l'effort d'une piété singulière, on le doubla, on le tripla. Entre chaque phrase, que dis-je, entre chaque proposition, et presque entre tous les mots de l'ancienne liturgie, on intercala brièvement une phrase nouvelle, un ou plusieurs vers nouveaux..... Cette sorte d'épidémie dura pendant le xi[e] siècle. » Léon Gautier. *La France sous Philippe-Auguste. (La Littérature.)*

(3) Patr. Lat. cxii, 339.

(4) Patr. Lat. cxxxi, 95.

(5) Patr. Lat. cxii, 1324.

compositam referunt (1). Nec poterat Marbodus litterarum magister quin et ab omnibus vatibus jampridem usurpatam viam ipse tentaret. Imo eo attentius hanc ipse navavit operam, quo magis tunc scholarum magistri intererat discipulis exempla præbere quibus insistentes eamdem artem perfectius ipsi callerent (2).

Plurimos igitur hymnos edidit variis adstrictos modis; nullo certe figurarum lumine accenduntur, nec, quod potissimum decuisset, ovanti exsultant impetu aut vivida rerum imagine mentes ad cœlestia regna rapiunt; sed puro et æquabili fluunt cursu, et quasi stillatim blando pietatis rore animos emolliunt.

Audias scilicet quibus laudibus Magdalenam prosequatur Marbodus :

Peccatrix quædam femina
Ecclesiæ novissima,
Exuta carnis onere
Cœlos ascendit hodie :
Cujus qui colunt meritum
Recenseant introitum
Ad laudem summi Domini
Qui tantum præstat homini.

(1) Patr. Lat. CLI, 935.

(2) « La plupart des scholastiques composaient, à l'usage de leurs élèves, des hymnes qu'ils leur faisaient déclamer ou chanter en l'honneur des Saints. C'est pour avoir composé différentes pièces de vers sur des sujets pieux, que le poète Prudence est appelé par le vénérable Bède : un très-excellent scholastique. » *Histoire de l'Université d'Angers*, XIX, 39.

Sedebat apud Simonem
Deus indutus hominem :
Accessit mœrens, languida,
Ad Medici vestigia.
Quid vellet voce tacuit,
Sed lacrymis exposuit,
Et osculis et crinibus
Oravit pro criminibus (1).

Videas nunc qua peritissima, sed inani quidem diligentia concordes syllabarum sonos assectetur Noster (2). Hæc enim de Dei Genitrice, singulare metrum adhibens, prædicat :

Stella maris, quæ sola paris sine conjuge prolem,
Justitiæ clarum specie super omnia solem !
Gemma decens, Rosa nata recens, Perfecta decore !
Mella cavis inclusa favis mutata sapore
Omnimodos tuus almus *odos* præcellit odores (3).

Nec tamen inscite similiter cadentibus verbis utitur poeta : sed si triste hominis fatum, et pœnitentiæ luctus mœstis lyræ modis explicet, tunc gravissimos et quam maxime ponderosos sonos eligit, quorum reper-

---

(1) Marbod. *Hymn. de sancta Maria Magdalena.*

(2) Rem metricam hujus ætatis si scrutari volueris, consulas laudatos scriptores : Edelestand du Méril, nec non Léon Gautier. De qua amplius disserere operis lex nos vetuit.

(3) Marbod. *Carm. var.* VIII.

cussione iterata, horrore imbuatur animus. Exemplum afferre liceat hunc de compunctione peccatoris hymnum :

Cum recordor quanta cura
Sum sectatus peritura,
Et quam dura sub censura
Mors exercet sua jura,
Dans rugitum sicut leo
Pro peccatis meis fleo,
Cum singultu preces fundo,
Flexo genu, pectus tundo
Ore loquens tremebundo (1).

Quis non fateretur canoram hanc vocum concordiam solemne aliquid quod sepulchri horrenda revocet resonare? Quantum et apud plebem, putas, valebant ista carmina, apud istam, inquam, plebem, quæ ardentibus fidei stimulis excitata quidquid de vita æterna et de tremendo præsertim judicio canebatur, promptis accipiebat animis! Cui mentium voluntati obtemperans Marbodus, non semel ad sævum judicem, vel ad æterna alludit supplicia. Hanc circa materiam libentissime versatur, ad hanc usque recurrit : imo de se ipso humillime sentiens, nullum aggreditur carmen, quin ad pœnitentiæ gemitus et ad supplices peccatoris preces quasi invitus recidat (2)!

---

(1) Marbod. *Carm. var.* XII.

(2) Marbod. *Oratio pœnitentis sæpe lapsi. Carm. var.* XXXIV. — *Oratio pro fidelibus defunctis,* XLI. — *Alia oratio pro defunctis*, XLII. — *Oratio ad Deum,* VI. — *Oratio ad sanctam Mariam,* VII.

Aliquas igitur poetæ religiosi partes in hymnis conficiendis exhibuit Marbodus. Quod munus ut plenius exerceret, vitas etiam Sanctorum metris subjecit (1). Hic quæ antea de veteribus Sanctorum vitis diximus, referre non libet : illud tantum notum sit, jam a prioribus sæculis felicem illam carminum materiam a christianis vatibus vindicatam fuisse. Hinc numerosiores quam ut revocari possint Sanctorum vitæ poeseos veneribus ornabantur; quæ quidem haud illepidis versibus primum constabant. Nam multa egregia deprompseris ex Fortunato vel Paulino Martinum Turonensem laudantibus (2). Nec aspernari licet ignotos sanctorum Mammetis et Leodegarii præcones (3) quorum plurimi versus optima ævi Maronei nota signantur. Nullum tamen, undecimo sæculo, inter hæc de Sanctorum vitis carmina elocutionis elegantia præstat : omnis quippe expertia artis, non ut doctos juvent, sed ut plebis religionem recreent tantummodo spectant. Ipse quoque Marbodus, vitas Sanctorum versibus retexens, non ea poetica utitur oratione, quam postea de rebus philosophicis disserens adhibuit : sed impolitus et consulto rudium similis, incedit : communi et sordida claudicat musa quam

---

(1) *Vita Theophili. — Poema de VII Machabæis. — Versus de sancto Laurentio. — Pass. SS. Victoris, Mauritii et Sociorum. — Vita sanctæ Thaisidis, sancti Maurilii. — Pass. sanctorum Martyrum Felicis et Adaucti. — Naufragium Jonæ Prophetæ. — Historia Ruth.*

(2) Patr. Lat. LXXXVIII, 363. LXI, 1009.

(3) Utrumque carmen Walafrido adscribitur. —Patr. Lat. CXIV.

incendere non valent nec acribus possunt agitare sensibus grandia Sanctorum facta. Scilicet nostro Theophili pœnitentiam describenti segnes et incompti effluunt versus ; prolixior effetaque commentis progreditur narratio. Quid de orationibus ? Adeo immodice protrahuntur ut varias personas de garrulitate certare credideris. Attendas quippe ad Theophili preces vel Mariæ responsa. Ea certe non feres quæ tam otiosa et vacua spatiantur, et quasque res simplicissimas grandi verborum onere impediunt et gravant (1); tantis obruitur vitiis Marbodi sincerus et mitis in dicendo affectus, qui cum in uno vel altero versu ægre emicuerit, iniqua rhythmi popularis affectatione repente opprimitur. Eadem de variis Sanctorum passionibus a Nostro descriptis affirmaverim. Nihil saltem generosum, nihil sublime spirant, nullis carminum illecebris martyrum confessiones decorant. Quum tamen hæc dicendi humilitas valde hanc ætatem delectaverit, non possumus non mirari adeo de simplici castaque scribendi via tunc homines descivisse. Trita enim et putida carmina quam longe superantur a veteribus martyrum actis! Quanto nervosius hæc rem indicant! Quam vivide truces judicum voces, nobilia heroum responsa exprimunt! Quantos movet affectus, pura omnique destituta arte elocutionis nuditas! Quod facile perspicies si vetusta instrumenta, Nostri vel aliorum poetarum carminibus contule-

(1) Marbod. *Theophili vita*. Vid. apud Bollandum.

ris (1). Hæc de Marbodi (2) hymnis aliisve sacris carminibus dicta nobis sufficiant. Sane ille labor aptissime sacerdoti congruebat : at si Nostro gratulemur egregiam religionis causa suscepisse curam, eumdem objurgandum velimus qui tot vatibus sacris circumdatus, eorum non tantum virtutes sed et vitia imitatus sit, nec e turba eminere, et per propria incedere vestigia semel visus fuerit.

Sed præstat ad Marbodi scholastici carmina stylum vertere.

§ II

DE CARMINIBUS AD DOCTRINAM SPECTANTIBUS.

Sedula veterum disciplinarum investigatrix ætas nostra quibus studiis, variis temporibus, exculti fuerint adolescentes, diligenti cura perscrutata est. Cuique autem cognoscendi præcupido, quis fuerit undecimo ætatis nostræ sæculo studiorum cursus, non parum proderunt Marbodi opera. Jam diu quippe percelebris evadebat Andegavensis schola quum ei regendæ Noster præfectus est : nempe, quum undique in Gallia, episcopis

---

(1) Multum tamen apud populorum auctoritatis obtinebant hæcscripta, vel potius quæ pie referebant prodigia. Et quoniam de Theophilo mentio incidit, notandum est vetustissimum auctorem dramaticam fabulam de eadem historia sumptam docuisse. V. *Miracle de Théophile. Théâtre français du Moyen-Age.* Monmerqué, 136.

(2) Marbod. *Hymnus primus de Madgalena. Carm. var.* I ; *secundus de eadem*, II ; *tertius de eadem*, III : *de Sacerdotibus*, X ; *de Annuntiatione*, XLI ; *de Epiphania*, XXVI ; *de Hypapante*, id. ; *de Ascensione*, XXVII.

auspicibus adjuvantibusque tum clericis, tum monachis, nova orirentur studiorum receptacula, istis non caruit Andegavensis Ecclesia (1). Novimus enim Bernardum, Fulberti discipulum, scholas Andegavenses aliquot annis rexisse (2) ; dein Joannem (3), postea Raynaldum (4) eruditissimos viros eadem obiisse munia. Quorum in locum suffectus Marbodus eo prosperitatis scholas Andegavenses evexit ut ad illas ex omni provincia frequens factus sit adolescentium concursus qui non litteras tantum, sed et juris civilis et rerum naturalium scientiam curiose edocebantur (5). Pauciora quidem quæ de doctrina tractent Marbodi opera : at notatu dignissima. Etenim exactioris disciplinæ qua puerum regebat, insigne præbent documentum aliqui quos discipulo cuidam absenti dirigebat versus :

Contempto (inquit Scholasticus) strato, summo te mane levato :
Quinta sume cibum, vinum bibe, sed moderatum.
Quæ meditatus eris, tabulis dare ne pigriteris.
Post hæc, i lectum ; cum legeris, ito comestum ;
Post sumptas escas, si jam monet hora, quiescas (6).

---

(1) *Hist. Littér.*, IX.

(2) Bernardi, Scholastici Andegavensis : *De Miraculis S. Fidei Liber.* — Patr. Lat. CXLI, 123. — « Roberti, fratris illius Bernardi qui in Andegava civitate studiis philosophiæ effloruit. » Cart. abb. Corm. (Cormery). — Gall. Christ. IV, 302.

(3) *Veter. Analecta* III, 312-313.

(4) *Histoire de l'Université d'Angers.* I, 30.

(5) *Hist. Littér.*, IX.

(6) Marbod. *Carm. var.* 30.

Hinc perspicere licet quo salubri laboris et laxamenti temperamento vitæ discipuli moderaretur Scholasticus noster. Qua vero mentis intentione discipulorum profectibus invigilaret hæc te docebunt:

> Quæ *dediscere (?)* spero quandoque videre:
>
> Miseris huc quædam, facies ut cætera credam! (1)

Quibus vero auctoribus commentandis uteretur scire si velis, jam ex ipsius verbis novimus maximo in honore apud magistrum et discipulos poetarum scripta fuisse (2) : ceterum Marbodi carmina vel epistolæ in quibus adeo frequens pristinorum auctorum mentio incidit, quam assidue antiquis litteris incumberetur, satis ostendunt (3). Nec dubitandum veterem Rhetorum rationem, tum etiam in usu fuisse. Argumentum est parvulus Nostri de *ornamentis verborum* liber (4) in

---

(1) Marbod. *Carmina varia*, 30.

(2) Adjicias licet philosophorum opera quæ carminibus ornare haud semel enixus est Marbodus. Sint in exemplum *Proverbia Catonis philosophi.* Marbod. *Carm. var.* 45.

(3) Credendum est græcos auctores minori usu apud Marbodum fuisse: nam de illis omnino silent varia Scholastici carmina. Ex latinis vero, iis studuisse Marbodus potissimum videtur, qui vitæ præceptis curam dederunt sive metricam, sive prosam orationem adhibuerunt: Tullio scilicet, Senecæ, Juvenali, Persio, Horatio. Aliquando tamen alludit Marbodus ad fabulas græcas ex Homero, vel ex tragicis Atheniensium scriptoribus depromptas.

(4) Ex eo disces discipulis suis potissimum versificationis exercitium inculcavisse Scholasticum nostrum. Nempe in exemplum discipulo versificaturo hic liber proponitur. Hinc in prologo leges:

> Versificaturo quædam tibi tradere curo.
> Si potes his veluti gemmis et floribus uti,
> Fiet opus clarum.........

quo varias dictionis figuras exacte describens, antiquorum more grammaticorum (1), postquam singulam docuit regulam, exemplum subdit non ex aliquo celebri scriptore depromptum, sed quod ipse poetice finxit. De his quidem regulis non licet disserere, cum per longa invaluerint sæcula, et nunc viles et contemptæ fere jaceant. Si vero ad exempla (2) in quibus singularis Scholastici cura versata est respexeris, ex illis, quæ fuerit Marbodi persona, quæ ejusdem in componendis versibus facilitas, quis illi veterum auctorum usus, statim patebit.

Optime enim ecclesiasticam personam decet illud *conversionis* exemplum :

Tu solus Deus es, bonus es, pius es, sapiens es,
Qui terram portas, mare portas, sidera portas (3).

Illud alterum quo *complexionis* forma traditur, Andegavensem civem fuisse Scholasticum clare designant :

Qui sunt qui pugnant audaciter ? Andegavenses.
Qui sunt qui superant inimicos ? Andegavenses.
Qui sunt qui parcunt superatis ? Andegavenses.
Egregios igitur livor neget Andegavenses (4).

(1) Fabium præcipue imitatus est Marbodus, quocum conferendus est.— Vid. *Inst. Lib.*, x.

(2) Notandum tamen et in his Marbodum priorum Scholasticorum viam dereliquisse, qui præcipue ex libris sacris exempla proferebant : ex profanis Noster materiam assumpsit. Cf. Cassiodorum. *De artibus et disciplinis liberalium litterarum.* (Pat. Lat. LXX, 149.) Boetium. *Locorum Rhetoricorum distinctio.* (Ibid. LXIV, 127.) Alcuinum. *De Rhetorica* (Ibid. CI, 919.)— Rabanum Maurum. *De Rhetorica* (Ibid. CVII, 408.)

(3) Marbod. *De ornamentis verborum*, CLXXI, 1638.

(4) Marbod. ibid., § III. Cf. Quintilianum. *Institut.* IX, 10.

Quam faciles, quam egregios conderet versus, quum solos imitaretur veteres Marbodus, disces ex illo *exclamationis* exemplo :

O Asiæ flos ! Troja potens ! O gloria quæ nunc
In cineres collapsa jaces ! Ubi regia proles
Ex Hecube Priami, veniens a sanguine Divum ?
O Hector, quondam Trojum fortissime frustra !
Conjugis in facie defunctorumque parentum,
Hostiles primo fœdasti sanguine currus ;
Hanc adèo patriæ labem, tua, perfide pastor,
Navibus invexit, Dis exsecrata voluptas (1).

Plura referri possent, sed ex dictis liquet vel in docendo studiosum Scholasticum Marbodum fuisse. Utinam has dictionis figuras , hæc verborum ornamenta non tanti duxisset ! (in quo tamen non tam Nostri ingenium , quam ætatis quæ eum extulit culpandum est). Etenim in prologo libelli, figuras istas gemmarum et florum instar quibus quodcumque distinguitur poema non mediocriter laudat, immerito quidem, quod et ipse sensisse videtur (2). Nam operi epilogum subjiciens, non jam figurarum studium prædicat, sed discipulum monet ut potius, si scribere velit, ad sexus, ætatisve conditiones sicut sunt in re attendat,

---

(1) Marbod. ibid., IV.
(2) Ibid. *Epilogus*.

quippe « *hæc spernens* », inquit, « *Bavius, hæc servans fiet Homerus.* »

Multa alia de arte disserentia ediderat Marbodus, sed temporum injuria perierunt, vel adhuc manuscripta jacent. Porro nemo est qui non videat quantum ab eis juvari posset, quicumque litterarum in Gallia historiam curiose rimatur.

Plura quoque quibus adolescentium moribus consuleret Scholasticus noster carmina finxit (1). Sæpius in avaros invehitur, sæpius quam sint brevi perituræ sæculi voluptates gravibus inculcat verbis. Imo, ut legentes ab amorum deliciis deterreat, seipsum inducit non semel a turpibus irretitum vitiis, sed tandem ab eis resolutum et fœda detestantem gaudia. Egregia sane documenta quibus puerorum non tantum mentes, sed et pectora erudiebantur (2)! Quamvis igitur duriori et putida elocutione laborent, laudi tamen Marbodo vertenda sunt, quippe qui optime intellexerit eas esse probi scriptoris partes, lectorem non modo delectare, sed etiam monere.

Quoniam quæ in munere obeundo Marbodi scripta

---

(1) Marbod. *Commendatio castitatis. Carm. var.* XII. — *Dissuasio amoris venerei*, XVI. — *Pœnitudo lascivi amoris*, XVII. — *De vitiis et virtutibus*, XXVIII. — *Contemptus præsentis vitæ*, XXIX. — *Dissuasio mundanæ cupiditatis*, XXX. — *Quod non sit expavenda mors corporis*, XXXI. — *Non esse mutandum repente propositum*, XXXII. — *De vita et morte*, XXXVII. — *Quomodo servitur nummo*, 38. — *Quomodo decipitur qui nummo servit*, 39.

(2) *Hist. de l'Université d'Angers*, I, 63.

fuerint novimus, superest ut pauca de levioribus carminibus attingamus.

§ III

DE LEVIORIBUS CARMINIBUS.

Dicacem et ad sales promptissimum animum avis nostris fuisse dudum compertum est. Omnia siquidem eorum scripta, ea sed maxime quæ plebiculæ favores aucupabant, mordacibus jocis asperantur, quibus vel principes, vel Ecclesiæ proceres, vel magistrum scientia stulte tumentem, vel quemque mentis pravitate aliqua ridiculum cavillabantur patres nostri. His temporis sui moribus ipse Noster cessit, dumque mens juvenili flagrabat ardore, jocosis aliquando carminibus indulsit (1). At molestiæ aliquid, fatemur, nobis attulit procax illa camœna, quæ salibus amaris hostes suos aspergit, et injuriosas eis notas inurit, nedum honeste lepideque ludat; merito igitur Marbodum castigare liceret, nunc monasticum ordinem, nunc canonicorum præpositum, illiberali carmine, crudisque versibus aggredientem : quanquam in illis multa curiose describuntur de clericorum vita, multa, inquam, quæ diligentem morum veterum scrutatorem valde delectare possunt. Nam præ-

---

(1) Marbod. *De Abbate usurpante pontificalia. Carm. var.* XVIII. — *Ad Monachum detractorem*, XXXV. — *Reprehensio superfluorum in epitaphio Joannis abbatis*, XLIV. — *Parabola de fraude a lupo opilioni facta*, 40. — *De ordine ecclesiastico et monastico*, 41. — *Versus canoniales*, 44.

positum objurgans Marbodus, hujus arguit in quærenda pecunia impotens studium, in sacris obeundis insolentem habitum, in docendo ignorantiam, in instruendis mensis turpissimas gulæ divitias. Quod adeo atrox carmen quodam in modum cantilenæ iterato versu distinguitur :

Altera præpositis, est altera regula nobis.

Displicet sane Marbodus tot probrosa ingerens jurgia, nulla urbana humanitate temperata, atque eo magis, quo lepidius honestiusque lusisse eum quandoque novimus. Quam facete enim fabulis usus inquietum corripit fabrum !

Cyclopum Liparis memoratur habere tabernas
Quas labor exercet nocte dieque gravis :
Sic tamen ut capiant partem somnique cibique
Et recreet fessas tantula pausa manus.
Te, fugiende faber ! nec opus, nec flamma fatigat
Quominus incudem fervida massa premat.
Nulla tibi requies, nullam vicinia sentit
Cum tuus infestet proxima quæque labor.
Communis paries utinam par Alpibus esset,
Aut fieret fornax ignibus Ætna tuis.
Non reor humana qui sis de stirpe creatus :
Insopor ac potuit te genuisse draco (1).

(1) Marbod. *Carm. var.* 6.

Quam egregie Faustinum scriptorem exagitat!

Dum partem, Faustine, tui perpendo libelli
Qua vacua pellis pagina muta jacet,
Partem quæ loquitur vacuam magis æstimo quam te!
Plena supervacuis pagina namque vacat.
Unde librum totum vacuum sic colligo, cujus
Altera pars nugas, altera nil retinet (1).

Nec semel improbos scriptores vellicavit. Cum enim epitaphium superfluis redundans quidam Joannes composuisset, hunc increpat Marbodus:

Nam quorsum tendit vel, quæso, quid utile pendit
Quod Februus mensis fuit huic quasi lethifer ensis!
Quod tunc exivit cum pisces Phœbus inivit,
Cum cœlum sursum, cum staret terra deorsum,
Cum Ligeris flueret, cum ventis unda tumeret,
Cum pisces narent, cum passeruli volitarent,
Cum mulier neret, cum parvula filia fleret (2)!

Hæc junior ludebat Marbodus; nam, ut ipse ait:

Juvenem cantare jocosa decebat (3).

Sed ætate provectus, pueriles lusus deseruit; tunc urbis rumores aversari, villæ amœnitatem laudare, grato naturæ vernantis spectaculo libentissime frui eum

(1) Marbod. *Carm. var.* 9.
(2) Marbod. *Ibid.* XLIV.
(3) Marbod. *De X. capit.* I.

vidisses. Quæ suavis species naturæ insolita dulcedine pectus Marbodi perfundebat, nam :

> Moribus (inquit), esse feris prohibet me gratia veris
> Et formam mentis mihi mutuor ex elementis (1).

Inde, tot egregiorum poetarum non adeo mediocris æmulus venusto carmine ruris delicias præ urbis tumultu effert :

> .... Hic mihi sæpe
> Mos est abjectis curarum sordibus, et quæ
> Excruciant hominem, secedere ruris amœna,
> Herba virens, et silva silens, et spiritus auræ
> *Lenis et festivus*, et fons in gramine vivus,
> Defessam mentem recreant et me mihi reddunt (2).

Nos tamen piget quod lepido isti procemio non apte accommodentur reliqui carminis versus. Hi quamvis graves et putido quovis acumine purgati procedant, siccis sapientiæ præceptis tardantur, adeo ut non poetam, Flacci instar, lectores amabiliter docentem referant, sed Senecam potius aliumve rigidum philosophiæ magistrum ex cathedra declamantem.

Hanc gravitatem quæ Scholasticum decebat, ad amicos scribens respuit Marbodus (3). Multum quippe leporis ha-

(1) Marbod. *Carm. var.* 1.

(2) Marbodi. *Carm. var.* XVIII.

(3) Marbod. *Cenomanensi episcopo. Carm. var.* XI. — *Samsoni episcopo,* XXI. — *R. Archidiacono,* XXII. — *Ermengardæ comitissæ,* XXIII. — *Ad reginam Anglorum,* XXIV. — *Lincolniensi episcopo,* 1. — *Ad Amicum absentem,* 3. — *Ad Hospitem,* 4. — *Ad Odonem,* 32. — *Gualterio suo,* 33. — *Ad eumdem,* 34.

bent versus ad Samsonem Westriensem (1) missi. Ponti pericula metuens Noster in Angliam transfretare renuit. Pulchre igitur Flacci notissimos versus, ad sententiam accommodat :

Sed neque prudentis reor, aut se tradere ventis,
Aut sua, se spreto, credere fata freto.
Æquora sunt tantum generi concessa natantum,
Tellus gressilibus, aura volatilibus.
Regnum Neptuni generi sic competit uni :
Nostra sed improbitas res it in illicitas (2).

Nec ponti pericula tantum, sed et longa ætas Marbodum impediunt quin ad amicum properet :

Sed gelidum pectus, sed fessa labore senectus
Obstat ne faciam per maris alta viam :
Si fines vestri peterentur calle pedestri
Ad caras ædes ferret, amice, pedes.

At Samsoni virilis vigor; præterea, Britannia ortus, solitam civium audaciam nactus est; veniat igitur ipse ad amicum :

At tu qui vegetus, qui ventos spernere suetus
Undis circumagi non metuis pelagi,
More tuæ gentis grave quid libet aggredientis,
Visere, quando voles, littora nostra vales.

---

(1) De Samsonis vita consulas : *Histoire de l'Université d'Angers*, I, 34.
(2) Marbod. *Carm. var.* XXI.

Gratior etiam et venustior ad Reginam Anglorum epistola (1). Nobilis scilicet illa mulier, vestium et habitus humilitate se insignem gerebat. Hanc temperantiam laudibus effert Noster. Tunc, occasione sibi prærepta, feminarum objurgat luxum.

Affectant aliæ, quod eis natura negavit,
Purpureas niveo pingere lacte genas,
Fucatosque trahit facies medicata colores,
Distinguendo notas artis adulterio.
Comprimit exstantes quarumdam fascia mammas,
Et longum pingit vestis adacta latus.
Hæ partim retegunt laxosa fronte capillos,
Et calamistrato crine placere volunt.

At contra Anglorum Reginam sola delectat modestia :

Tu, Regina, quod es, metuis formosa videri,
Quæ coemunt aliæ, munera gratis habens !

Quam tamen modestiam intra certos fines cohibere æquum est, quippe, ut lepidissimis versibus subjicit Noster :

Non tua sed Domini munera dantis habes :
Virgo pudica licet, tamen optat pulchra videri,
Et castam mentem candida forma decet.

Nemo igitur negaverit elegans et facile Marbodo fuisse ingenium : quod forsan eximios tulisset fructus, si magistris usus esset Noster haud imparibus Gualterio quem verecunda fovebat amicitia. De Gualterii persona non satis liquet : at virum musis deditum et fama cons-

(1) Marbod. *Carm. var.* xxiv.

picuum eum fuisse constat. Ad hunc enim proprios fetus, tanti vatis nomine quasi perterritus et judicis reformidans acumen, Marbodus mittere dubitat.

Neque immeritum hoc de Gualterio judicium videtur. Quo scilicet poeta monente, Marbodus tandem putidos sales et ambitiosa ornamenta, et figurarum elatos ambitus rejicere testatur (1). Quod decori utrique est : Gualterio, rectam dicendi viam ostendisse, et forte priorem occupavisse ; Marbodo, ingenio satis valuisse ut amico vera prædicanti, invita popularis laudis ambitione, citius obtemperaret. Unde Noster Hildeberto quo familiariter utebatur scribens, atque illius carmina propriis versibus conferens, priora laudibus extollit, posteriora extenuat, forte bene conscius se simplicitate ipsa qua versus suos laborare confitetur, amicum vincere :

Sublimi nubes excedunt *illa* volatu ;
Sæpe relecta placent........
Arcanos sensus brevibus stringentia verbis ;
Hæc vultu facili rudibus doctisque patescunt.
Vestra per antithesim flectit se musa frequenter,
Exercens refluos sinuoso schemate gyros :
Nobis directo satis est procedere calle (2).

Cujus optimi judicii plura tum in *lapidario* Marbodi tum in *decem capitulorum carmine* reperiemus : ad quæ statim nos convertamus.

---

(1) Marbod. *Carm. var.* 33.
(2) Id. *Carm. var.* xi.

III

DE LAPIDARIO (1).

—

Perbrevia hucusque et dissoluta, nec quæ merito poemata nominentur, Marbodi carmina excussimus : nunc quæ longiora continuato spiritu opera finxit aggrediemur. Porro, si tempora notaverimus, primus occurrit *lapidum liber :* de eo igitur statim dicendum.

DE LIBRO LAPIDUM SEU LAPIDARIO.

De diversis lapidum pretiosorum vel gemmarum naturis in hoc carmine agit Marbodus : cum vero diu dubitatum fuerit an Marbodo merito adscriberetur

(1) Commodius fore tam legentibus quam nobis arbitrati fuimus, si titulum hunc adoptaremus : nec admodum temere quippe qui jam a prudentibus auctoribus adhibitus fuerit.

prædictus liber (1), quædam de hujus carminis auctoritate præmittemus : dein ad quos potissimum fontes accesserit *lapidarii* auctor exquiremus. Tum quid de eo sentiendum nobis videatur, brevioribus verbis exponemus.

§ I. — *De lapidarii auctoritate.* — Diu apud eruditos viros, incerta fuit carminis hujus auctoritas. Nempe de nomine ipsius Marbodi in quibusdam vetustioribus codicibus non satis constat. Marbodæum ille (2), hic Evacem (3), alius Hildebertum (4) Cenomanensem retinet : nec mirum hanc nominum confusionem aliquid dubii mentibus eruditorum injecisse. Adde super hæc fabulas ecclesiastici viri alienissimas, quibus suum carmen refertum esse voluit auctor, ipsamque carminis elegantiam quæ prudentiorem ætatem quibusdam sapere visa est (5). Speciosa quidem ista dicuntur : at de his facilius fieri potest. Codex scilicet antiquissimus *Marbodæi* nomine inscribitur, cui *Galli* cognomen adjectum, ne forte cum Marbodæo illo (6), viro

(1) « Ainsi nous consentons volontiers qu'on regarde cet écrit comme une production sinon faussement attribuée à Marbode, du moins douteuse. » *Hist. Littér.* IX, 383-386.

(2) Ms. *Victorinus Parisiensis* n° 905.

(3) Gesnerus in *Bibliotheca*. Cf. Beaugendre. Patr. Lat. CLXXI, 1756.

(4) *Codex. Ms. Turonensis Ecclesiæ*, n. 656.

(5) D. Rivet. *Hist. Litter.*, 338 et sqq.

(6) De Marbodæo illo, vel potius Merobaude, consule Fabricium *Poetarum veterum Thesaurus*, 763. Sane nullus erit quem non pudeat elegantiori illi poetæ humilem Marbodi musam conferre.

consulari, ab Hispaniis oriundo, Noster confunderetur. Huic consonat omnis editorum turba, quæ labentibus sæculis, typis excudendum *lapidarium* curaverunt (1). Cur autem Evaci carmen illud adscriptum fuerit facile

---

(1)

I. *Libellus de lapidibus pretiosis nuper editus.* — *Viennæ Pannoniæ per Hieronymum Victorem Philonallem.* Anno MDXI. Curis Joann. Cuspiniani.

II. *In collectione prima operum Marbodi edita Rhedonis apud Joannem Mace bibliopolam jussu Yvonis Rhedonensis episcopi.* 1524.

III. *Marbodæi Galli poetæ vetustissimi de lapidibus pretiosis enchiridion cum scholiis Pictorii Villingensis.* 56 f. in-8°. 1531. Sine loco.

IV. *Eadem editio sed charta et litteris nitidioribus repetita est Parisiis:* Excudebat Christian. Wechelius. 1531.

V. *Marbodæi Galli Cenomanensis de gemmarum lapidumque pretiosorum formis, naturis atque viribus eruditum cum primis opusculum, sane quam utile cum ad rei medicæ tum scripturæ sacræ cognitionem; nunc primum non modo centum ferme versibus locupletatum pariter et accuratius emendatum, sed et scholiis quoque illustratum per Alardum Amstelodamum. Cum scholiis Pictorii Villingen.* — Coloniæ, excudebat Hero Alopecius. 1539. — 126 f. in-8°.

VI. *Macri de materia medica libri 5, versibus conscripti per* Janum Cornarium *emendati et annotati...... liber quintus de lapidibus et gemmis.* 1540. Francofurti. 132 f. in-8°.

VII. *Marbodi dactyliotheca, scholiis Georgii Pictorii, nunc altera vice supra priorem editionem illustrata.* Basileæ per Henrichum Petri. 1555.

VIII. *De gemmis scriptum Evacis regis Arabum olim a poeta quodam non infeliciter carmine redditum et nunc primum in lucem editum. Opera et studio D*ni *Henrici Rantzovii Sereniss. Danorum regis per Holfatiam et Dietmarsiam legati.*—Wittembergæ, excudebat Laurent. Schwenck. 27 f. in-8°. 1574.

IX. *Eadem editio repetita Lubecæ apud Joan. Belhornium.* 1575.

X. *Eadem Lipsiæ.* Imprimebat Georg. Desnerus. 1585.

XI. *Marbodæi, Galli Cenomanensis, poetæ vetusti carmen de gemmis et*

tibi explicabit Marbodi prologus. Fatetur enim Rhedonicus præsul se Evacis cujusdam librum excepisse et ad breviorem formam redegisse (1) : sic nos minime attonitos habet, Evacem tanquam *lapidarii* auctorem a pluribus assumptum fuisse. Nec magis obstat Hildeberti nomen codici Turonensi adscriptum quin lapidarium ad Marbodum pertinere judicemus. Nam carmen, ipso auctore favente (quod cur ita fuerit jamjam videbimus), incertis nominibus vagatum, Hildeberto Marbodi amicissimo, haud absurde assignari potuisse, quis non censeret, quum præsertim Hildebertus clarissimam musis ipse navaverit operam? Jam fabulis et mendaciis quibus deturpatur, nihil carminis auctoritati detrahi potest. Quippe non tam Marbodo crimini vertenda sunt quam auctori quem ille am-

---

lapidibus in Abr. Gorlæi dactyliothecæ parte secunda quam curavit Jacob. Gronovius. Lugd. Bat. 1695 et 1707.

XII. *Marbodi opera edita ab* Anton. Beaugendre. Parisiis, anno 1706, p. 1635-1690.

XIII. *Marbodæi de lapid. pretiosis enchiridion. Ex bibliotheca Bruckmanniana.* Recus. Wolffenbuttelæ. 1740.

XIV. *Marbodi liber lapidum seu de gemmis, varietate lectionis et perpetua annotatione illustratus a* Joanne Beckmanno. Gottingæ. 1799.

Hæc autem omnium novissima, ceteras quoque visa est nobis vincere diligenti codicum perscrutatione et sagacissima qua ornatur commentatione.

(1) Evax rex Arabum legitur scripsisse Neroni:
....
Hoc opus excipiens dignum componere duxi
Aptum gestanti forma breviore libellum.

plexus est. (1) Nos quoque peccato Marbodi indulgentes esse cogit ipsa, qua vivebat, credulissima ætas. Etenim quæ tunc temporis, erroribus istis fides non præbebatur ? Et, ut de lapidibus pretiosis loquar, quæ non de virtutibus eorum prædicabantur prodigia ? Hos vires incredibiles possidere, stupendos edere effectus, medicorum curam juvare, futura divinare, præsentia servare, passim et a viris haud certe ignobilibus affirmabatur. Quos errores non ætas Marbodi tantum sed vetustissima quæ hanc antecessere sæcula, quæque recentiora exceperunt, constanter amplexata sunt. Longius esset referre quas annis labentibus, de gemmis fabulas mentiti sunt Judæi (2), quorum summus sacerdos (jusserat ipse Moses Numinis interpres), vestes sacras gemmis ornatas, diebus festis induebat (3). Quid de Ægyptiis qui gemmas optime sculptas secum in tumulum efferendas curabant (4) ? Indiarum quoque populi gemmas venerabantur, quorum carmina sacra non semel aliquid de gemmis attingunt (5). Nec minor

(1) Ita graviter *Hist. Littér.* auctores : « Ce reproche ne peut tomber que sur le premier auteur de l'ouvrage, et non sur celui qui n'en est que l'abréviateur, et qui, en l'abrégeant, ne doit pas être censé lui donner ses propres sentiments. » Loc. cit., 384. Ed. Paulin Paris.

(2) De his et sequentibus consulas novum opus : *Diamants et pierres précieuses*, par Dieulafait, docteur-ès-sciences. Hachette.

(3) *Exode*, xxv, 7.

(4) Harum nonnullæ in Ægyptiaco Parisiorum museo asservantur.

(5) Cf. Dieulafait, p. 38.

apud Græcos gemmarum auctoritas. Has, ipso Homero teste, inter optimas munerum vel ornamentorum species annumerabant (1). Unde licuit Dioscoridi (2) medico lapides pretiosos utpote virtutibus secretis quidem sed potentissimis præditos extollere. Hujus in sententiam, longo sæculorum decursu et, ut ita dicam, usque ad ætatem nostram, descenderunt qui de lapidibus pretiosis disseruere. Nam et Plinius (3) et Solinus (4) et Isidorus (5) et Marbodus noster, et Psellus ille e Byzantio ortus (6) et Albertus (7) et Hieronymus Cardanus (8), aliique bene multi, nec adeo increduli, fabulas de lapidibus evulgatas, sedulo undequaque requirere, et longius exponere non dedignati sunt. Nec apud nos tantum, sed apud omnes Europæ populos has fabularum ineptias invaluisse constat (9). Igitur nec Marbodi temporibus nec ipsius indoli (nam

(1) *Iliade*, XVIII. *Odyssée*, IV.

(2) Dioscor. *Virtutum simplicium liber*. Lugd. 1512.

(3) Plin. *Hist. nat.*, XXXVII.

(4) Solin. *Polyhistor*. XXX.

(5) Isidorus Hispal. *Etymol.*, XVI.

(6) Psellus. *De lapidum virtutibus*. Lugduni Batavorum, 1745.

(7) Albertus. *De rebus metallicis*.

(8) Cardan. *De la subtilité*.

(9) Argumento sint tam multi de gemmarum virtutibus per varios populos exarati libri, ex quibus hos in exemplum adducam : *Libro de las virtudes y propriedades maravillosas de las piedras preciosas compuesto por* Gaspar de Morales. 1605.—*Il Tesoro delle Gioie* per Cleandro Arnobio. Venezia, 1662. — *Le parfait Joailler*, par Ans. Boot. Lyon, 1644. — *Hist lapidum pretiosorum omnium*. Baumer. Francofurti, 1771.

pravis vulgi opinionibus aliquando se deceptum fuisse testatur Marbodus) (1) repugnat hæc errorum usurpatio. Sed ut omnis tollatur dubitatio animum advertas velim ad carminis tenorem. Certe Marbodianum aliquid omnino redolent *lapidarii* versus. Incurrunt statim in oculos syllabæ istæ finales *esse putatur*, *esse videtur*, *esse probatur* quas in carmine *lapidum* ad satietatem adhibitas, in carmine *decem capitulorum* frequentius iteratas reperies (2). Hanc et annotes licet Marbodi dilectissimam vocem *perhibent* (3) quæ in utroque carmine constanter tibi recurret. Imo, versus quosdam *lapidarii*, leviter immutatos, passim aliis Marbodi carminibus insertos fuisse deprehendes (4). Res ergo lucet.

Certissime quidem *lapidarium* Marbodus excussit, sic tamen ut opus suum quasi pudibundus quibusdam involveret tenebris. Fortasse extimuit Noster ne odiosam magiæ opinionem, naturæ arcana secreta revolvens, ab invidis subiret, vel potius illum utpote Ecclesiæ deditum, tot quas aversabatur religio fabulas commemorare pudebat. Sane sibi soli, et paucissimis amicis

---

(1) « Sicut in hoc studio (astrologia) versans aliquando probavi. » *De Dec. cap.* VI.

(2) Numerosiora sunt horum exempla quam ut aliqua proponam. Lectu tantum opus est ut ista deprehendas.

(3) *De Decem capit.* II, 110 ; VI, 3, 15 ; VII, 11, et alibi.

(4) ..... Vario distinctis schemate vernat. *Lapid.* II.
..... Vitioque carens ac schemate vernans. *De Dec. cap.* I, 27.

quorum mentem secreti capacem, ut ipse ait, noverat, libellum suum patere voluit (1), suaque parum interesse arbitratus est utrum carmini nomen inscriberetur necne. Hinc, suppresso auctore, vagari cœpere erronei versus, quos nunc Evaci, nunc Hildeberto tribuendos, quoniam non alius occurrebat, plures æstimavere. Sed his jam in aperto positis, in conferendis Marbodo et Isidoro curam insumamus.

§ II. — *De fontibus lapidarii.* — Satis ex prædictis liquet Marbodo sicut et aliis ejusdem ætatis scriptoribus solemne fuisse, potius res a veteribus investigatas modis ornare poeticis quam a seipsis materiam excogitatam certis poeseos pedibus constringere (2). Ideo colligentes nos, non sine capite quodam emanasse, quidquid e Marbodi vena effluxit, ignotos *lapidarii* fontes, si qui essent, requirere juvit. Nec nos spes nostra fefellit. Non deerant scilicet sagaces antiquitatis scriptores, quos idoneos viæ duces sibi seligeret Marbodus. Nam et Salomonem regum sapientissimum, quædam de lapidum virtutibus scripsisse inepti ferebant veteratores : quod fictitium opus, nunc injuria temporum abolitum,

---

(1) Qui mihi præcipue, paucisque pateret amicis :
Nam majestatem minuit, qui mystica vulgat,
Nec secreta manent, quorum fit conscia turba.
Hunc *tribus*, ut multum, dandum sancimus amicis,
Qui numerus sacer est, et nos sacra pandimus illis
Qui secreta Dei *servando* decenter honorant,
Quos gravitas morum, vitæ commendat honestas. »

Lap. in prolog.

(2) Referas te licet ad ea quæ de vitis Sanctorum jam ediximus.

quantum ex titulo conjicere licet, vana errorum congerie, simillimum *lapidario* evadebat (1). Eadem apud Persas de Zoroastro *lapidarii* cujusdam auctore perhibebantur (2), quemadmodum Græci ipsi inter Orphæi carmina quoddam poema de *lapidibus*, cujus mendaces producebantur codices, exstitisse affirmabant. Insuper multos sive Græcos sive Latinos auctores de lapidibus scripsisse testatur Plinius quorum ipse opera manu tractaverat (3). At plerosque oblita est postera ætas, quod etiam multis a Pseudo-Plutarcho (4) commemoratis accidisse dolendum est. Haud ita de Theophraste Aristotelis discipulo. Nam quæ circa lapides egregie scripsit, nobis legere licet (5). Ad hunc autem rarius alludit Marbodus : nihil saltem ab eo fonte hausit quod per versus suos infunderet. Ecce autem nobis fit obviam, cujus jam mentio incidit, Evax rex Arabum (6). Porro sub istius nomine quemdam noni vel decimi sæculi

---

(1) « Ἐφυσιολόγησε καὶ Σαλομὼν καὶ περὶ λίθων, οὐχ ὅπως ἐχρώθησαν μόνον ἢ συνετάγησαν, ἀλλὰ καὶ ὅπου ἑκάστη συντελεῖ. Τὴν μὲν σωφροσύνης ἔφησε φυλακτήριον, τὴν καὶ πρὸς τὰ θειώδη ἀντέχειν πυρσὰ, ἑτέραν δὲ φυγαδεύειν πνεύματα πονηρά. » Michael Glycas in Psello.

(2) Plinii. *Hist. nat.*, xxxvii, 10, 55.

(3) Juba rex, Xenocrates, Nicander, Timeus, Sotacus, Pytheas, Theocrestus, Mnaseas, etc. ; Varro, Mæcenas, Corn. Bacchus, etc.

(4) Ps.-Plut. *De fluv. et mont. nominibus.*

(5) *Traité des Pierres.* Théophraste, trad. *Hill.* Paris, 1554, in-12.

(6) Cf. Beckmannianam Gorlæaniamque editionem. Addidit et duas Evacis Tiberiique epistolas Alardus, quas fictitias esse prudenter suspicatus fueris.

ignotum auctorem latuisse prope fidem accedit : quippe apud veteres Evax ille omnino ignoratur. Attamen hunc aperte, ut vidimus, tanquam magistrum reveretur Marbodus. Nec solus Evacem extollit : nam Marbodi æqualis, Petrus, Cassinensis diaconus, inter opera sua translationem quamdam græci voluminis, quod ab Evace conscriptum affirmat, annumeratam voluit (1). Quis vero fuerit ille liber, quove modo eumdem sui juris Marbodus effecerit, elucidare non licuit, quum auctorem et librum pari oblivione invidiosa ætas condiderit (2). Hoc igitur omisso, ad Plinium venimus, qui historiarum trigesimum et septimum librum lapidibus describendis dedicavit : de quo aliquatenus usum esse Marbodum non negaverim : nam quædam ex historiis deprompta et ab Isidoro neglecta, in *lapidario* nitescere videbis (3).

Plurimum autem tum sententiis, tum verbis inter se dissentiunt Secundus et Marbodus (4). Quare nos ad Isidorum Hispalensem convertimus : cujus simul ac prologum prologo *lapidarii* contulimus, nobis statim perspectum fuit ei potissimum auctori Marbodum adhæ-

(1) Petr. Diacon. *De viris illustribus Cassin*, 47.

(2) De Evace lege Beckmann qui omnia ad scriptorem illum spectantia erudite collegit. *Lapidarium Marbodi*, p. I.

(3) Inter alia, vide quæ de *Pyrrhi lapide* uterque Plinius et Marbodus scripserit, quum eumdem Isidorus taceat. *Lapid.* II. — *De achate.* Plin. XXXVII. 3.

(4) Idem dixerim de Solino, Plinii plerumque vili imitatore.

sisse. Qua in re non possumus non mirari eruditissimos viros qui de Marbodi *lapidario* egere utriusque operis arctissimam cognationem omnino siluisse. Nusquam enim eam commemorant, adeo ut, si fas esset hæc de optimis viris sentire, eam illos pæne effugisse libenter arbitraremur (1). Ceterum ad rem tibi manifestius declarandam, Marbodi prologo Isidori procemium hic opponemus. Ab uno omnia disces:

ISIDORUS	MARBODUS
De gemmis. 1° *Primordia earum a rupe Caucasi. Fabulæ ferunt Prometheum primum fragmentum saxi ejus inclusisse ferro ac digito circumdedisse iisque cœpisse annulum atque gemmas.*	1° Annulus ut gemmam digitis aptandus haberet, Dicitur inprimis fecisse Prometheus usum, Caucaseæ rupis quem fragmina lucida ferro Inclusisse ferunt, digitoque recepta tulisse.
2. *Genera gemmarum innumerabilia esse traduntur, e quibus nos ea tantum quæ principalia sunt sive notissima annotabimus.*	2° Hæc ex innumeris excerpta vocabula gemmis Sufficiat nostro collecta labore teneri Quæ decies senis distincta patent capitellis
3. *Gemmæ* (2) *vocantur quod instar gummi transluceant.*	3° Gemmis a gummi nomen posuere priores, Quod translucerent gummi splendentis ad instar.

(1) Excipiendum tamen velim Alardum, qui aliqua *lapidario* capitula adhuc incognita addidit quorum Isidorum pressius exsequitur auctor. Minime vero hæc ad Marbodum pertinere crederem, qui sexaginta tantum capitulis constare opus voluit. Hinc et illa ab eodem Alardo forsan conficta esse capitula conjicere haud immerito aliquis posset.

(2) Ista non jam ex prologo Isidori, sed ex conclusione depromuntur.

4. *In quibusdam gemmarum generibus veras a falsis discernere magna difficultas est : neque enim est sine fraude ulla vita mortalium.*

4° Sed fraus intactum quia nil humana relinquit,
Invida naturam dum scilicet ars imitatur,
Veras a falsis labor est discernere gemmas,
Callida quas didicit vitro simulare doloso.

5. *Omnes autem non translucidas gemmas cæcas appellant* (1).

5° Quæ non translucent cæcas voluere vocari :
Nomine sed lapidis species signantur utræque.

Sic per sexaginta fere capitula Hispalensis vestigia quasi pedisequus urget Marbodus(2). Aliqua tamen inter utrumque dissimilitudo notanda est. Scilicet strictior Isidorus qui plerumque res breviori clausula stringere nititur ; fusior Marbodus qui longo verborum circuitu easdem evolvere gestit. Videas nempe, exempli causa, quomodo eamdem materiam prior coarctet, posterior vero dilatet :

ISIDORUS (*de Liparea*)

Liparea suffita omnes bestias evocari tradunt (3)

MARBODUS (*de eadem*)

Partibus in scythicis lapis est liparea vocatus
Ad quem sponte sua properat genus omne ferarum,
Quas venatorum suevit labor exagitare.
Non eget ergo canum cursu curave sagaci
Saltus perlustrans, lapidem qui gesserit istum;
Sternendæ satis est venabula tollere prædæ.

---

(1) Isid. Hispal. *Etymol.* XVI, 6, 1, 27. Marb. *Lapid.* Prolog.

(2) Ne te diutius morarer ad calcem operis exhibui locorum utriusque operis concordantiam.

(3) Isid. XV, 22. Marbod. *Lapid.* XLV.

Aliquando tamen acrius Isidoro instat Marbodus, et verbo reddere verbum meditatur : quod in hoc de Iride capitulo perspicies :

ISIDORUS	MARBODUS
Iris apud Arabiam in mari rubro nascitur, coloris crystallini, sexangulata, dicta ex argumento Iris : nam sub tecto percussa sole, species et colores arcus cœlestis in proximos parietes emittit (1).	Irim dant Arabes ; sed gignit eam mare rubrum, Crystallo similem, cujus sexangula forma Clara luce micans, fert causam nominis hujus. Nam si sub tecto radio sit subdita solis Proximus inficitur paries, varioque colore Arcus cœlestis depingit utriusque figuram.

Eo etiam dissentiunt Marbodus et Hispalensis quod errores de lapidibus receptos quasi invitus et indignans profert Isidorus, dum Marbodus illis inhæret et peramanter insistit. Quin etiam perridiculas religiones sectatur Marbodus, easque graviter celebrat, seu tales ineptias ipse finxit, seu eas ab Evace vel ab aliquo ignoto auctore deprompsit. Quomodo enim, non vitu-

(1) Isid. XIII, 6. Marbod. *Lapid.* XLVII.

perandus Marbodus hæc Isidoro chrysolithum describenti superimponens :

ISIDORUS	MARBODUS
Chrysolithus auro similis est cum marini coloris similitudine : hunc Æthiopia gignit (1).	Auro Chrysolithus micat et scintillat ut ignis : Iste mari similis , quoddamque viroris adumbrans ; Esse philacterium fixus perhibetur in auro , Contra nocturnos fortis tutela timores : Pertusus setis si transjiciatur (2) aselli, Dæmones exterret et eos agitare putatur. Trajectum lævo decet hunc portare lacerto. Æthiopes legimus nobis hanc mittere gemmam.

Sunt et aliqui lapides a Marbodo laudati qui apud Isidorum minime nominantur (3). Quare magistro destitutus Noster adscititiæque scientiæ expers, horum originem coloremve turpi premit silentio, vel inanibus semperque iisdem vix indicat verbis, in excogitando scilicet infelicior, nisi quum ad fabulas reciderit (4). Idem et in hoc vitiosus quod sapientem

---

(1) Isid. XIV, 8. Marbod. XI.

(2) Eadem de Chrysolitho narrant Vincentius Bellovac. *De natura rerum* et Albertus M. *De miner.* II, 1, 8.

(3) Marbod. *Lapid. De Corneolo.* XXII. — *De Gagatromæo.* XXVII. — *De Pœanita.* XXXIV. — *De Ophtalmio.* XLIX. — *De Gerachite.* XXX. — *De Tecolitho.* LV.

(4) Sic *Corneolum* laudat Marbodus :

Sed neque Corneolos lapides memorare pigebit
Qui licet obscurum videantur habere colorem
Non spernenda tamen his creditur insita virtus, etc,

Idem de *Gerachite :*

Iste colore niger superat virtute colorem,

Idem de *Tecolitho :*

Aspectu vilis, naturæ vi pretiosus.

et lucidum Isidori, in disponenda materie ordinem inconsulte turbat ac confundit. Nam Isidorus, prius de lapidibus, deinde de marmoribus, post de gemmis colore quibusque suo distinctis lucide disserit. Marbodus autem per indiscreta lapidum et gemmarum genera vagatur et errat. Rhedonum præsulem denique vincit Hispalensis linguæ græcæ peritia; cujus Marbodum minus prudentem fuisse *lapidario* ipso constat. Itaque pravam nominum græcorum assumptionem multi, haud immerito quidem, Nostro exprobravere (1).

Quibus tot et tantis vitiis quum Hispalensi inferiorem Marbodum evasisse teneamus, expedite quid de *lapidario* sentiamus absolvendum.

§ III. — *Quid de lapidario sentiendum.* — Jam a nullo ambigetur Marbodum, *lapidarium* excudendo, potius suo ipsius ingenio poeticæ exercitationis curiosissimo indulgere, quam opus diligenti rerum indagatione eximium et completum conscribere voluisse. Quo tamen in exercitio eum culpandum velim qui mendacia Musarum lepore (crassiore quidem) ornare voluerit, nedum illa Rabani instar (2), qui ipse Isidori fidus imitator exstitit, mysticarum rerum figuris

(1) « Nihil sane castum habet nec syllabas græcas probe satis enuntiat. » Girald. *Lilia.* II, 306, 307.

(2) Raban. Maur. *De Universo.* XVIII, 8. *De Gemmis.* Hujus mysticam de gemmis interpretationem, alicui *lapidarii* codici adjunctam aliquando nactus Beaugendre, eam a Marbodo conscriptam quoque fuisse arbitratus est. Qui error facile per utriusque collationem convinci potest.

extenuaret. Hinc ecclesiasticum virum tales recitantem ineptias, pene horruerunt pii scriptores (1). Aliis contra, non ita paucis, Noster probabilis visus fuit qui viam quasi novam musis aperuisset, et naturales quæstiones, tandem in medium adduxisset. Procul dubio, res illi præter spem cessit. Quippe, quem sibi pudori futurum esse libellum timuerat, hic famam Marbodi per ætates longius provexit. Ad eum nempe respexerunt qui Plinii vel Solini, vel Isidori opera commentati sunt. Ab eodem multa mutuati sunt scientiarum magistri Vincentius et Albertus (2), cumque ineunte decimo sexto sæculo, vix paucis abhinc annis incudere libros cœptum esset, dignum apparuit Marbodi carmen quod tanto honore insigniretur (3). Nobis quoque proxime ad hanc sententiam accedere liceat, et quum meritis criminibus Marbodum exagitaverimus, illi tandem favere, quod, quæ præstantes antiquitatis scriptores erudite collegerant, eadem quasi obvia, et in conspectu omnium posita præstiterit. De ipsa

(1) « Il faut que quelqu'un mal appris voulut emprunter son autorité et crédit et sous icelui faire couler cette folle et indocte composition. » D'Argentré. *Hist. de Bretagne.* III, 5, p. 159.

(2) Beckmanni *In lapidarium commentaria.*

(3) Vetustissimus auctor, quem *Brunetto Latini* aliqui esse voluerunt, de latino in Gallicum sermonem *lapidarium* vertit. Quod venerabile litterarum Gallicarum in lucem nascentium documentum, ab eruditis viris maxime excolitur. Vid. Beaugendre, ad calc. operis.

autem carminis elegantia a quibusdam nimia laude exculta quidquam addere superfluum habemus; nullum scilicet, ex tanto numero, se præbet capitulum singulari lepore gratum, nullum quod apta et nova terminetur sententia, nullum denique quod scrutari et penitus investigare placeat.

Adeamus ergo alterum Marbodi carmen cui *decem capitulorum* titulus inscribitur.

IV

DE DECEM CAPITULORUM LIBRO.

—

Supremum tandem et præcipuum Marbodi carmen attigimus quod non adolescentis cujusdam intemperatos sales nec poetæ corruptum dicendi genus affectantis exercitationes, sed senis longo vitæ usu diuturnaque litterarum tractatione exculti graves et ornatas afferet sententias. Sexagesimum enim et sextum compleverat annum Marbodus, quum annis et ingenio maturior non tam lectorem delectare quam illum doctis imbuere præceptis suprema musa voluit. Igitur quem suavem et utilissimum fructum longæ pepererant meditationes quibus valetudinis et senii causa vacabat, hunc versibus commisit. Ex decem capitulis totus constat libellus. Primum quidem, quod vice præfationis fungitur, de apto genere dicendi disserit. Doctissimum præsulem cui poema dicat, Marbodus monet se puti-

dorum leviorumque carminum quibus juvenis lusit valde pœnitere :

Quæ juvenis scripsi, senior dum plura retracto
Pœnitet et quædam vel scripta vel edita nollem (1).

Si vero errorem emendare priorem nefas sit, aliud tamen ætas, aliud mens suadent veteri poetæ. Itaque corruptam orationem quæ mulceat aures respuit Noster :

Ergo propositum mihi sit, neque ludicra quædam
Scribere, nec verbis aures mulcere canoris :
Non quod inornate describere seria laudem,
Sed ne, quod prius est, neglecto pondere rerum,
Dulcisonos numeros concinnaque verba sequamur (2).

Deinde postquam sapienter expressit leges quibus omne subjacet carmen, vates quid jam sibi canendum sit, paucis declarat nudisque versibus :

Humanæ primum vitæ de sorte loquemur,
Et quæ sint hominum causæ, cur tempora currant;
In quo non minimum fore credimus utilitatis,
Ut cognoscat homo quo tendere debeat omnis
Cum dura sese genitum sub sorte queretur (3).

(1) Patr. Lat. CLXXI, 1465 et sqq.
(2) Ibid.
(3) Ibid.

His rite præmissis, materiam aggreditur Noster, secundum evolvens capitulum quod de tempore et ævo inscribitur. Vitæ pæne extremos assecutus fines Marbodus quam fugitivas transierit ætates vitæ, lugendo commemorat, quarum bona cito aufugerunt, mala vero supersunt. Hinc sincero percitus doloris sensu proximum sibi sentiens adesse judicium eloquentes fundit gemitus :

Quid misero prodest mihi tot vixisse per annos !
Quid lætos vixisse dies et tempora grata,
Cum quidquid placuit fugiens avexerit hora ,
Nec tamen abstulerit mentem cruciantia ? Nam cum
Gaudia transierint, operum stat pœna superstes,
Occultis plagis male conscia pectora torquens (1).

At ipsius vitæ gaudia, quam brevia, quam misera tibi videbuntur, si ea laboribus variis quibus omnis vexatur homo contuleris. Hos labores specioso verborum robore repetit Marbodus, pannorum fœda, infantiæ fletus, pueri, quem verbere sævo recitare dictata magistri cogunt, tristes lacrymas enuntians : tum adolescentiæ in vitia ruentis improbos æstus, tum virilis ætatis male honoribus famæque inservientis cruciatus, tum denique decrepitæ senectutis deliramenta revocat. Quas tantas ærumnas nihil est in mortalium vita quod compenset, nec voluptas qua pecudum similis

(1) Marbod. *De X capit.* II.

homo evaderet, nec populi favor aura levioris, nec divitiæ quæ hinc auferri nequeunt. Ipsa vitæ diuturnitas quæ nisi cum periit integra vocari potest nihil esse probatur : quod egregia comparatione ex bestiolis uno die totam conficientibus vitam assumpta confirmat Marbodus. Ergo brevitatem vitæ, nervosis et qui non Persium dedecerent versibus colligit poeta:

An non his similes animalibus esse videmur
Quos brevitas vitæ quantumvis longa coarctat?
Nam quidquid longum, sub tempore dicitur ullo,
Quocum collatum punctus brevis esse putatur,
Imo nec punctus, quoniam cum mille per annos
Tempora transierint, stat punctus et illa nihil sunt (1).

Attamen breviorem hanc vitam, non frustra nobis largitus est Conditor quippe eo fine tempora Deus nobis concessit ut longo certantes agone, tandem ad ævum perenne quo vel victori palma vel victo supplicium inhibebitur, athletæ perveniamus. Hæc recordans pius vates, ad propria se recipit delicta, eaque humiliter confessus ad mitem Christi misericordiam supplici confugit oratione.

Quoniam igitur de brevitate vitæ constat, ad laqueos quibus plerique mortalium irretiuntur attendit poeta. Quorum haud immerito præcipuum fallaces meretricis

(1) Hic occurrunt uniuscujusque legentis animo notissima Persii verba : « Vive memor Lethi! fugit hora : hoc quod loquor inde est. » *Sat.* v, 154.

insidias æstimans, in tertio capitulo adversus improbas mulieres sævit Marbodus. Tum Juvenalis æmulus impudicas feminas violentis urget opprobriis : forsan periculis quæ adolescentibus imminent commotus, modum aliquando excedere non timuit sapientissimus magister. Cui enim paulo turgidiora hæc verba non viderentur ?

> Parva loquor, reges solio movet (femina) atque tetrarchas,
> Gentes collidit, quatit oppida, diruit urbes,
> Cædes multiplicat, lethalia pocula miscet,
> Per villas agrosque furens incendia jactat (1).

Hæc quoque nobis minus placent, quæ si lepidius dicta fuerint injuste tamen in omnem redundant muliebrem sexum :

> Invidus est sexus, levis, iracundus, avarus
> Et circa potum nimius, ventrisque voracis,
> Et facie renitens, secretaque sordida celans,
> Mendax atque procax, nec furti crimine purus,
> Hinc lucris inhians, hinc igne libidinis ardens,
> Garrulus, inconstans et post mala tanta superbus (2).

Hæc atrocia dicta in meretrices postquam effudit, multa depromit Marbodus ex libris sacris exempla, quibus sententiam firmet. Post ad veteres recurrit fabulas, Sirenum cantus et Circes pocula venusto carmine

---

(1) Marbod. *De X capit.* III.
(2) Ibid.

retrahens. Denique prudentibus monitis discipulorum mentes erudit.

O genus hominum ! mellita venena caveto,
Et dulces cantus, tractumque voraginis acræ,
Nec te compositi seducat gratia vultus !
Flammas urentes sævumque timeto draconem :
Si formosa vocet mulier te fallere quærens
Tuque tibi fidens properas certamen inire,
Pectore robusto spernens hostilia tela,
Falleris ignarus ! non hæc certaminis hujus
Lex est ut possis conserta vincere pugna ;
Præstat inire fugam pedibusque parare salutem (1).

Ne tamen adeo feminarum infensus hostis haberetur Noster, quarto capitulo egregias matronæ laudes explicat. Quam sibi provinciam suscipiens Marbodus primum nil melius a Deo homini concessum muliere bona confirmat. Simili nempe ac nos natura formata, paribus affectibus, pari sensu prædita est. At non æque Nostrum probaverim tardas molientem rationes, ut mulieres auro vel gemmis præstare vincat, quo argumento scilicet minime mulierem elevat, sed eam contra deprimit. Nec illa ratiuncula satis retinet gravitatis, feminam ideo suspiciendam esse quia :

Quis queat esse pater si mater femina desit ?

Sic quippe non mulierum indoles sed natura laudatur. Rectius poeta noster officia sedula matrona-

(1) Marbod. *De X capit.* III.

rum celebrat. Imo non semel pectora legentium suave commovet. Quam molli enim et tenero affectu imbuuntur hi de matribus versus!

> Transeo prægnantis duros longosque labores:
> Anxia præterea cruciantis tempora partus
> Quo nos in lucem mater tristissima fundit,
> Mox pretio prolis tantos oblita dolores.

Hos et mirari licet:

> Plurima præterea quæ cura domestica poscit
> Promptius exsequitur speciali femina cultu,
> Multaque perpetitur quæ nostra superbia transit;
> Mollius ægrotum tractat, plus sedula lecto
> Assistit, studiosa cibos potumque ministrat (1).

An melius unquam aliquis de femina scripserit, me valde dubitare fateor. His de officiosa mulierum cura relatis, iterum exempla proponens vates, celeberrimas quibus orbis claruit feminas reminiscitur. In primis almam Dei Genitricem extollit. Dein ad mulieres quarum historia sacra egregia facinora narrat alludit; nec generosas obliviscitur puellas quæ martyrium passæ vitæ damno redemere pudorem. Tandem et gentiles memorat feminas Lucretiam, Alcesten et Arriam morte sua mariti mortem generose antecedentem. Quintum sequitur de senectute capitulum.

(1) Marbod. *De X capit.* IV.

Longævæ ætatis incommoda jamdudum experiebatur Marbodus. Rerum itaque bene sciens, quidquid molesti senibus accidere solet, Flacco præeunte (1), commentatur. Sed mentis senium strictiori carmine expresserat Horatius : Marbodus vero corporis effeti ruinas effuse describit ; et quamvis his depingendis diutius immoretur non ita tamen insulse quæ senes torqueant stylo assequitur :

(Huic) Contrahitur nimium nunc totum frigore corpus,
Vixque valet multa cumulatum veste foveri.
Huic caligantes oculos tegit improba nubes,
Ut vix servorum valeat dignoscere vultus.
Excussos alius gemit a radice molares
Et sorbere magis quam mandere cogitur escas ;
Vox exarmato quoque deformatur in ore,
Et collisa levi balbutit lingua labello.
Sunt quibus obstrusæ via jam præclauditur auris,
Et vel clamosa vix possunt voce moveri (2).

---

(1) Hic Juvenalem urget Marbodus illumque pedetentim sequitur. Si vero inventi meritum nostro deneges, non ideo omnis expertem artis fuisse hanc imitationem æstimabis : atqui ut melius totum pateat, prompti sunt tibi Juvenalis versus :

« Frangendus misero gingiva panis inermi.....
Non eadem vini atque cibi, torpente palato,
Gaudia...........
..... Clamore opus est ut sentiat aure
Quem dicat venisse puer : quot nuntiet horas,
....
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis ; ambo
Perdidit ille oculos, et luscis invidet : hujus
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis, etc.

Sat. x, 195.

(2) Marbod. *De X capit.* v.

Hæc proprio et nitido verborum delectu adumbrata placent : sed plenius delectat etiam Marbodus, quum non jam Flaccum sed Tullium imitatus hæc grandi ore loquitur :

Laudo senectutem quia turpes pellere motus
Noscitur et mundum servare libidine corpus;
Tum quod inest senibus rerum prudentia major
Et quod tranquillam sectantur amantque quietem,
Pellitur et petulans levitas gravitate senili;
Tum quod sæpe solent avertere publica damna
Consilium dubiis in rebus dando salubre (1).

Jucundus quoque Marbodus, cum mentis imbecillitatem seni accidere magis luxuriæ causa quæ pleraque adolescentium corpora hebetat quam deficientis ingenii culpa confirmat (2). Inde sobrios juventutis annos sibi ipsi merito congratulans, quas in senio carpit delicias suavi cum dignitate retractat :

Ast ego nunc suaves studiorum colligo fructus
Cum lego, vel meditor, vel quodlibet utile scribo :
His exercitiis mihi fit jucunda senectus,
Et si corporeis me fraudat viribus ætas,
Ingenium mihi mensque vigent et tempore crescunt;
Nec mihi contemptum peperit maturior ætas,
Sed cani capitis crevit reverentia major (3).

---

(1) Cf. Cic. *De senectute.*

(2) « Ista ipsa defectio virium adolescentiæ vitiis efficitur sæpius, quam senectutis ; libidinosa enim et intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. » Cic. *De senectute.* IX.

(3) Marbod. *De X capit.* V.

Inde ad vulgatissimum suæ ætatis errorem se vertit poeta. Multi enim astris et nascendi legibus vitæ omnes assignabant eventus, et in hanc sententiam ut ipsius Plinii verba usurpem (nam jam ab eruditi scriptoris tempore error percrebuerat) pariter et eruditum vulgus et rude cursu vadebant. Ipse Marbodus aliquando astrologiæ studiis incubuerat, quorum vanitates expertus, in sexto carminis capitulo, multa adstruit argumenta, quibus mendaces artis solertias detegat. Totam prius, ut decebat, astrologorum rationem exponit. Post, eam argumentis ex ratione petitis aggreditur. Scilicet, si natalis horæ terminus nostros violenter dirigat actus, omne scelus sideris patrocinium tutabitur. Ex quo patet ad omnia paranda facinora prompta cuique via. Perit insuper libertas arbitrii. Ipsi non explicare valent magi qui fiat ut, cum eadem omnibus populis immineant astra, hi tamen virtutum, vitiorum illi exempla præbeant. Quid? Nonne multa quæ facimus timoris vel pecuniæ, vel voluptatis causa impulsi, satis ostendunt nequaquam homines fato ineluctabili regi, sed contra quemque sponte bonum sponte malum agere?

Hæc pedestri sed utili musa exsecutus Marbodus, de voluptate quam vitæ hominum finem immerito assignant Epicurei, septimum instituit capitulum. Iterum ex Flacco qui pluries in homines cibo et gulæ deditos lepide jocatus est plurima decerpens, virum omnibus deliciis effluentem inducit. Hunc tamen nullam experiri

felicitatem egregie confirmat Marbodus. Mox lacertos movet ita nervosius ut pæne ad Socratem apud Platonem disputantem assurgat:

Nam cum defuerint (bona) cupit insistitque fruendis,
Dum fruitur metuit ne se fugitiva relinquant:
Inque vices miserum capiunt timor atque cupido;
Ergo nequit vigilans non sollicitudine pungi.
An satur (1) et multo vino somnoque sepultus
Nil cupiens, et nil metuens, fortasse beatus
Esse potest, cum se non sentiat esse beatum!
At sic si miser est nisi tempore dormiat omni,
Dormiet æternum ne sit miser evigilando! (2)

Mentis præterea vires et corporis robur debilitat voluptas, virtutem pellit, omne fovet vitium: quas ob causas omnino eam expellendam esse concludit vates. At si voluptas summum vitæ malum perseveret, summum ejusdem vitæ bonum amicitia. Amantissimo pectore præditus Noster dignus erat qui amicitiæ laudes breviori stringeret carmine. Quas ut felicius absolveret, sedulæ apis instar quidquid veteres vel poetæ vel philosophi de amicis bene scripserant, id prælibavit et in octavo carminis capitulo retulit. Nunc Juvenalem de mollitie cordis humani sublimes pangentem versus sequitur (3). Nunc ad Tullium de amicitia perorantem

(1) Ita legendum censuimus pro *Arctatur* quod legerat Beaugendre, omnino mendose, ut patet; sic enim intellectu careret sensus, nec versus incolumis maneret.

(2) Marbod. *De X capit.* VII.

(3) Juvenal. XV.

respicit, nunc Flacci vel Annæi prudentia in eligendis amicis præcepta replicat : quomodo tractandus, quomodo suaviter corrigendus, quomodo, si opus sit, a nobis sejungendus amicus, ita scilicet, ut dissuta non discissa habeatur mentium societas, nos dilucide docet. Mox ad graviorem quæstionem accingitur poeta; quippe omnibus æque odiosam mortis impendere necessitatem eum non fugiat. Nec diffitetur Marbodus omnia vitæ gaudia mortis timore obscurari, et regum ipsorum fœdari voluptates : non enim alio tendit notissima Damoclis fabula quam pura et eleganti narratione exprimit Noster (1). At illi nimis injuste de morte queri homines videntur. Nos enim monet natura omnia terrestria fluere, labi, irreparabilique fuga ad mortem properare. Hanc amplo et splendido carminis fluxu rationem evolvit Marbodus : noctem nocte fugatam, quatuor anni

(1) Ergo, tyrannus ait, si res tibi tanta videtur,
Experiare licet fortunæ commoda nostræ;
Purpura regalis, sceptrum, diadema, tribunal
Imperiique mei tibi sit permissa potestas.
En tibi sum quod eras, quod eram tibi tu mihi fias.
Fascibus assumptis, sublimi verna locatur
Conspicuus solio : geniali mensa paratu
Astruitur : puerum circumstat turba sedentem.
Certatim properans nutus implere jubentis....
Cœperat ergo diem tot per bona ducere lætum,
Cum videt e camera tenui pendentia filo,
In subitum vulnus mucronis acumina cæci
Lethiferum cerebro jamjam minitantia casum :
Excutitur trepidus solio. » — Marbod. IX.

Certe non te fugit frequens Horatianorum versuum assumptio. Vid. Hor. *Sat.* II, 6.

tempora sese alternis vicibus invicem detrudentia, ipsam denique hominis vitam rapidissimo ætatum successu usque ad senectutem agitatam. Immerito igitur senectus, ultima ac miserrima pars ætatis, fine careret: neque malum mors, sed bonum potius æstimanda quæ longævæ miserias vitæ terminet. Tibi quoque si juveni mors occurrerit, fato gratiæ reddendæ nam labores tuos extenuat. Neque futuræ vitæ supplicia objicias: quæ si tibi reformidanda appareant, non mors, sed vita tua culpanda est. Hinc potissimum elucet mortis utilitas, quæ dum improbum pœnarum metu a vitio revocat, honestis et sanctis viris justam rependit mercedem (1). Tam severa commentatus vates, christianum se episcopumque esse conscius, ultimum addit de resurrectione capitulum. Qui enim de fato hominis tam diserte disseruerat quomodo supremum vitæ finem et optatum quo omnis in hac mundi procella jactatus portum contendit non signasset? Itaque veterum auctorum vestigia deserens, divinisque insistens Scripturis, fidem nostram de carnis resurrectione exemplis ex Evangelio decerptis corroborare studet. Christum revocat, Sanctorum primitias, ad Patris dexteram sedentem. Deinde illos appellat quos jam mortuos ad auras ætherias Redemptoris vox remeare jussit. Arabis patientissimi Job nobilia commemorat verba; nec Paulum de judicio supremo oracula pronunciantem obliviscitur. De-

(1) Marbod. *De X capit.* IX. — *De Bono mortis.*

nique rursus ipsam testem adhibet naturam. Quæ si mortem patitur perpetua tamen reparatione renasci conspicitur:

Ipsa mihi sine voce loquens natura susurrat
Post somnum vigilas, post mortis tempora vives.
....
Mutat luna vices, defunctaque lumine rursum
Nascitur augmentum per menstrua tempora sumens:
Sol quoque per noctem quasi sub tellure sepultus
Surgens mane novus reditum de morte figurat.
Signat idem gyros agitando volubile cœlum, —
Aera distinguens tenebris et luce sequente.
Ipsa parens tellus quæ corpora nostra receptat,
Servat in arboribus vitæ mortisque figuram,
Et similem formam redivivis servat in herbis.
Nudatos foliis brumali tempore ramos
Et velut arentes mortis sub imagine truncos
In propriam speciem frondosa resuscitat æstas:
Quæque peremit hiems nova gramina vere resurgunt,
Damnaque temporibus restaurant pristina certis
Semina jacta manu sulcis moriuntur operta,
Quæ velut e tumulis cito vivificata resurgunt,
Ut suus incipiat labor arridere colonis.
Nos quoque spes eadem manet et reparatio vitæ (1).

Pulchri quidem et nobiles versus! Sane si Nostrum Tertulliano idem (2) argumentum conficienti conferas, jam languere et pigescere incipiet Marbodus; sed quum

(1) Marbod. *De X capit.* x.
(2) Tertullianus. *De resurrectione carnis.*

musa latialis antiqua, tunc adeo vilis et pedestris jaceret, quo non excipiendus plausu Noster, qui eam adeo graves, adeo sublimes sensus exprimere docuit.

Longius nos dulcedo quædam illud egregium opus investigandi provexit; sed ut finem faciamus, quæ de diversis capitulis diximus, illa in brevibus verbis cogenda. Liceat ergo Marbodo nostro assentiri quod optimis præceptis commissos instruere voluerit. Illud et in eo maxime laudandum, quod aptiorem dicendi modum elegerit et quem sibi requirebat sententiarum gravitas, eum adhibuerit stylum, gravem scilicet, temperatum, sapienti viro dignissimum. Quædam pace Marbodi dixerim in ipso carmine vituperanda. Varia enim capitula inter se non satis cohærent : nec de alio ad aliud transitus fit facilis, sic ut non unum poema partibus legitimis constans, sed decem varia carmina operis summa exhibeat. Eget insuper conclusione liber, qua finem assecutus lector velut uno oculorum obtutu, quidquid transierit recordetur. Hinc mancum et imperfectum opus esse dixeris. Languent etiam plerumque versus: raro ad altiorem impetum evehitur poeta; vel si quid lætius tentaverit, vix modicos indulget versus et ad humilem citius revertitur musam. Quæ tamen illi iniquitate temporum accidisse credideris, meritaque admiratione fovebis poetam illum qui viam sibi adeo novam muniens, si optimorum æmulus non evasit, proximus tamen illorum stetit; *in magnis* enim *et voluisse sat est.*

CONCLUSIO

Variis igitur Marbodi carminibus perpensis, quid de illo poeta sentiamus in pauca conferendum. Nullum profecto judicem tam asperum et difficilem fore spero qui non fateatur singularem inter æquales locum Marbodo nostro assignandum esse. Nam si ad varias ejus elocutionis dotes respexeris, fere eum solum in Gallia offendes qui ludis syllabarum spretis vanoque verborum strepitu omisso, veterum carminum formam accuratius exsequi tentaverit. Atque eo probabilior evasit quo pronius ad ejusmodi acumina et subtilius ingenium Nostro fuisse novimus. Sic rectissimo usus judicio Marbodus hanc tandem respuit quæ apud tot poetas obtinebat carminis speciem minutioribus membris quasi concisam et fastidiosi rhythmi consectatione vilem; quippe in Marbodo non semel reperire est amplos verborum circuitus numerosis distinctos intervallis aptisque cæsuris variatos, nedum æqualium vatum similitudine Noster tædium ac satietatem creet. Veram præterea auctoris sui indolem, fidelis speculi instar, carmina Marbodi reddunt. Quam facetus fuerit, quam promptus ad sales, lepida indicant epigrammata; quam humilis

ac modestus, tot supplices preces hymnorum more effusæ; quam doctus, severæ de vita hominum disputationes; quam amicis gratus, liberi ad socios versus.

Novitas quoque illa in Marbodo jucunda qua ille non tantum a sacro dogmatum fonte argumenta repetit, sed naturali hominum lumini aliquando morem gerit: probe quippe censuerat Noster illud quantulumcumque sit non fidei auctoritati adversari, sed potius auxiliari. Unde merito doctissimos Ecclesiæ præsules qui adversus paganos certantes naturæ vocem sibi argumentum advocabant imitatus, sæpius ad rationes quas ingenita hominum prudentia comparat, et ipse recurrit.

Denique felicissimus apud Marbodum antiquitatis usus: qui qualis fuerit non dubitandum cum toties ad poetas et veteres philosophos appellet Noster. Quod cum pristinis scriptoribus commercium, multos illius temporis inivisse non negaverim. At quidquid de hoc hauserint fonte illud carminibus minus aptare valent. Marbodus autem quos ex veterum lectione maturos collegit fructus, hos nobis non invidet: sed sagax per versus infundit. Hinc et antiquitatis eruditæ saporem et religionis christianæ gravitatem ejus carmina quandoque spirare dixeris. Sive igitur hanc antiquorum imitationem respexeris, sive illam eruditam naturalium quæstionum disputationem æstimaveris, Marbodum ad illam ætatem pertinere colliges qua latinæ musæ quasi ex tenebris emersæ tantus undique honor, tantum decus contigit.

Nec me fugit pluribus Marbodum jure vexandum fieri, qui episcopus scilicet sacrisque curis intentus, libentius veteres poetas quam Ecclesiæ doctores respicit et in scholarum umbris delitescit nedum in acie qua tunc ecclesia conflictabatur religiosa obeat stipendia. Quæ enim tunc non agitabant orbem christianum dissidia? Quæ non atroces non committebantur pugnæ? Quæ subeunda episcopis prælia? Ecclesiæ libertatem tueri, veritatis adversus Hæreticos partes suscipere, principum libidini obsistere, commissorum populorum jura tutari, hæc unicuique præsuli provincia. Quanto sed præstat Marbodo Hildebertus qui minime fatigatus tot annis in Ecclesia regenda impensis nunc Henricum schismaticum confutat, nunc Ludovico regi fortiter adversatur, nunc moribus prudentissime invigilat, et quidquid sibi otii superest, ut sanctissimam Eucharistiam insolenti errore petitam carminibus prædicet illud usurpat! Quanto minor apparet tantis laboribus Marbodi nostri causa qui fervidam fugiens aciem secure meditatur et quasi per libidinem carmina fingit! Eum tamen aliqua parte excusatum habeamus. Litteræ enim, quas tamdiu magister fovit, sereno gaudent aere, prælia horrent, turbis misceri trepidant nec dimicare sed docere cupiunt. Unde fit ut magistris litterarum plerumque contingat indoles pacis amicissima et quotidianas vitæ præsentis lites aversata, quæ semper egregiorum ingeniorum convictrix, curis civilibus implicari renuit, hominumque celebritatem odit et aspernatur. Is fuit sane Marbodo

animi habitus. Si vero suffragia optima captat illa nobilis Musa quæ strenui militis personam gerens, generoso impetu et ardenti carmine hostes suos turbat ac prosternit, hæc non contemnenda quæ puro et simplici versu molliter allicit mentem, ingenium docet et animos occupat.

Quam ad sententiam nostram explicandam optime congruunt quædam Plinii verba. Hic nempe tot forensibus certaminibus gloriosus, cuidam rhetori per longos annos in scholis versato occurrerat; cujus mite et candidum suspiciens ingenium sic illum apud amicum quemdam extollit Secundus :

« Annum sexagesimum excessit et adhuc scholas-
» ticus est : quo genere hominum aut simplicius, aut
» verius, aut melius nihil novi (1). » Eadem de Marbodo nostro referre parum mutata liceat : « Quum sexagesimum annum excessisset adhuc scholasticus fuit : quod poetarum genus quam simplex, quam candidum, quam bonum sit, ejus carmina legentes novimus. »

Vidi ac perlegi
Monspelii, die XVII maii, ann. MDCCCLXXVII
Facultatis litterarum in Academia Monspeliensi decanus
AL. GERMAIN.

Typis mandetur
Monspeliensis Academiæ rector
EM. CHARLES.

---

(1) Plinius ad. Nepot. Epist. II, 3.

APPENDIX

LAPIDARII ET ETYMOLOGIARUM CONSONANTIA.

	MARBODUS	ISIDORUS — Etymol. XVI
Cap. I.	De Adamante	XIII. 2.
II.	De Achate	XI. 1.
III.	De Alectorio	XIII. 8.
IV.	De Jaspide	VII. 8.
V.	De Sapphiro	IX. 2.
VI.	De Chalcedonio	IV. 13.
VII.	De Smaragdo	VII. 1.
VIII.	De Sardonyce	VIII. 4.
IX.	De Onyce	VIII. 3.
X.	De Sardio	VIII. 2.
XI.	De Chrysolitho	XV. 2.
XII.	De Beryllo	V. 7.
XIII.	De Topazio	VII. 9.
XIV.	De Hyacintho	IX. 3.
XV.	De Chrysopraso	VII. 7.
XVI.	De Amethysto	IX. 1.
XVII.	De Chelidonio	IX. 6.
XVIII.	De Gagathe	IV. 3.
XIX.	De Magnete	IV. 1. 2.
XX.	De Corallo	VIII. 1. — XV. 25.
XXI.	De Alabandina	XIV. 6.
XXII.	De Corneolo	
XXIII.	De Carbunculo	XIV. 1.
XXIV.	De Ligurio	VIII. 8.
XXV.	De Æthite	IV. 6.

	MARBODUS	ISIDORUS
Cap. XXVI.	De Selenite	IV. 6.
XXVII.	De Gagatromæo	
XXVIII.	De Ceraunio	XIII. 5.
XXIX.	De Eliotropia	VII. 12.
XXX.	De Gerachite	
XXXI.	De Epistite	XV. 15.
XXXII.	De Æmathite	VIII. 5.
XXXIII.	De Asbesto	IV. 4.
XXXIV.	De Pæanita	
XXXV.	De Sagda	VII. 18.
XXXVI.	De Meda	VI. 4.
XXXVII.	De Gelacia	XIII. 4.
XXXVIII.	De Exaconthalito	XII. 5.
XXXIX.	De Chelonite,	XV. 23.
XL.	De Prasio	VII. 4.
XLI.	De Crystallo	XVI. 1.
XLII.	De Galactide	X. 4.
XLIII.	De Orita	
XLIV.	De Hyenæa	XV. 25.
XLV.	De Liparea	XV. 22.
XLVI.	De Enhydro	XIII. 9.
XLVII.	De Iride	XIII. 6.
XLVIII.	De Androdagma	XV. 8.
XLIX.	De Optallio	
L.	De Margarita	X. 1.
LI.	De Panthero	Panchrus. XII. 1.
LII.	De Absycto	XI. 2.
LIII.	De Chalcofano	XV. 9.
LIV.	De Melochita	VII. 11.
LV.	De Gegolitho	
LVI.	De Pyrite	XI. 8.
LVII.	De Diadocho	
LVIII.	De Dionysia	XI. 8.
LIX.	De Chrysolectro	XV. 3.
LX.	De Chrysoprasio	XIV. 8.
LXI.	De Annulo et Gemma	Prolog. VI.

INDEX

PROŒMIUM

PARS PRIOR

DE MARBODI VITA

PAG.

PARS POSTERIOR

DE MARBODI CARMINIBUS